



DIATRIBE

IN

LOCUM PHILOSOPHIÆ MORALIS

QUI EST

DE CONSOLATIONE

APUD GRAECOS.

DIATRIBE

IN

LOCUM PHILOSOPHIÆ MORALIS

QUI EST

DE CONSOLATIONE

APUD GRAECOS.

SCRIPSIT

A. C. VAN HEUSDE.

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. DOCT.

Trajecti ad Rhenum,

APUD ROBERTUM NATAN.

1840.

Typis Mandarunt Schultze & Voermans.

J. A. C. VAN HEUSDE

FRATRI CARISSIMO, CONJUNCTISSIMO

S. P. D.

A. C. VAN HEUSDE.

Quo sensu me affectum esse putas, carissime frater, his praesertim temporibus, quae tam acerbe renovant dolorem, quantamque fecerim jacturam, ob oculos ponunt? Non festus ille erit, qualem exoptaveram, dies, quo summos in literis honores petiturus sum, quum Ille gaudii mei particeps non sit futurus, quem non vitae tantum auctorem, sed studiorum etiam rectorem, optimum fidumque juventutis ducem, sermonibusque suis et consiliis et vero exemplo suo me ad virtutem excitantem semper expertus sum. Neque mihi licet, ut ante sperabam, hasce studiorum meorum primitias ipsi dicare, ipsique significare gratum

meum animum pro tot tantisque beneficiis, quibus, dum in vivis fuit, me cumulare nunquam desiit. Quae quum ipsi testari nequeam, tamen hac opportunitate, quid quantumque ipsi debeam, reticere, cum mea me pietas erga optimum patrem, tum gratus animus vetat. Tecum idcirco, frater dilectissime, cui idem vitae dux, idem benevolus et integerrimus studiorum fautor contigit, quique tuam erga eum pietatem cum saepius demonstrasti, tum ante hoc quadriennium publice professus es; Tecum igitur, ut satisfaciam desiderio, illius recolere memoriam ac beneficiorum cursum commemorare volo, quod gratissimum orbis luctus esse solet solatium.

Est sane, optime frater, quod nobis gratulemur, talem nobis fuisse patrem, qui omnia liberorum saluti postponens, nihil antiquius habuit, quam ut eos, quos susceperat, liberaliter educaret. A tenera enim aetate optimis quibusque magistris nos instituendos tradidit, qui nostrum et ingenium excolerent, et vero etiam, quod longe majus ducebat, animum ad colendam virtutem informarent. Nam contemnebat omnem doctrinam, quae nullam haberet morum virtutisque commendationem, ac, duce Platone, educationem esse negabat, quae non esset πρὸς ἀρετὴν ἐκ παίδων παιδεία, ποιοῦσα ἐπιθυμητήν τε καὶ ἐραστὴν τοῦ πολίτην γενέσθαι τέλεον. *Quam sententiam ipse exem-*

plo suo moribusque confirmabat ac commendabat, qui unice, quid verum, quid bonum, quid justum esset, quaerens, hoc vitae suae summum ducebat finem, ut et ipse coleret virtutem, et alios, qui ipsius commissi essent curae, ad optima quaeque incitaret. Hinc quoque factum, ut deinde, ad publicam in gymnasio huius urbis institutionem delatos, privatae simul nos Ekkeri disciplinae committeret. Cuius summi viri ut admirabatur copiam doctrinae egregiamque docendae juventutis facultatem, ita amabat morum integritatem, probitatem, pulchri honestique studium. In huius autem disciplinam ac familiam traductus, dici vix potest, quantam inde perceperim utilitatem. Etenim singularis plane est viri ratio, qua juveniles animos falsis opinionibus liberare, optimis principiis imbuere literarumque ardore velut inflammare soleat. Praeclarae autem huic institutioni atque indefesso labori, quo difficilia nobis explicare, et quae ipse in legendis antiquis scriptoribus sentiret, cum discipulis communicare solebat, accedebat sermonis elegantia, festivitas, comitas ac benevolentia, ut non aliunde venisse, sed ad ipsius familiam pertinere videremur. Ab eo igitur caeterisque praeclaris, quorum lectionibus in gymnasio interesse mihi licuit, magistris, studiorum quae ad humanitatem spectant prima elementa accepi: sed ille fuit, qui privata sua institu-

tione discendi amorem, a patre jam excitatum, aleret, corroboraret, confirmaret: ille potissimum, qui sermonibus suis, adhortationibus et consiliis me ad rite et percipiendam paternam disciplinam, et colenda studia Academica pararet. Huic igitur quid quantumque debuerim, nunquam obliviscar; sed gratissima erit mihi semper quadriennii, in eius disciplina et consuetudine peracti, recordatio; patri autem dilectissimo id semper acceptum referam, quod huic praeclaro viro instituendum me tradiderit.

Peractis autem Gymnasii studiis, ad Academiam progredientem, paterna me recepit domus et caritas. Jucundissima profecto vitae meae pars, qua illius frui institutione, illius quotidie sermones, monita, consilia accipere, illius ab ore pendere mihi licuit! Tum enim in primis, quali gauderem patre, qualis quantusque eius erga liberos esset amor et caritas, quale ejus studium, ut ad veram nos felicitatem adduceret, cognovi. Nam quum intelligeret, multum ad futuram vitae rationem facere, bene an male transactum esset Academiae spatium, ipse ducem nobis se praestitit, quem in colendis studiis sequeremur. Quocirca non tantum auxilium mihi in tractandis literis praebuit, animum despondentem erexit, petulantem repressit; verum etiam, neque labori parcens, neque tempori, cuius caeteroquin illo parcior nemo fuit, pu-

blicis lectionibus privatam conjungebat institutionem, qua antiquis interpretandis scriptoribus, tradenda historia et disputandi exercitationibus instituendis, explicare ingenium meum et discendi ardorem excitare et augere studuit. Quibus beneficiis cumulus accessit, quum me, vix Academiae stadium ingressum, in eorum admitteret numerum, quibuscum antiquorum, maxime Platonis, scripta legere consueverat. Quoties autem, dilectissime frater, in vesperarum illarum memoriam redeo, redeo autem saepissime, toties mihi desideratissimi viri imago ab oculos vivens versatur, monentis, adhortantis, optimis quibusque nos imbuentis principiis. Non enim magistri officio unice fungens, in scriptoris, quem explicandum sibi sumserat, verbis haerebat, sed longius progressus, eius sententiam explorabat, interpretabatur philosophiam, gravissimasque nobis haud raro quaestiones proponens, ita de iis disquirebat, ut non magistrum cum discipulis, sed amicum natu majorem cum junioribus colloquentem audire nobis videremur. Tum autem, de hominis facultatibus, de humanitate, de pulchro et bono disputans, ἐνθουσιάζων plane, id in me efficiebat, ut quid tandem illud esset, scribere in hominum animis, plane perspectum haberem.

Quae quum essent optimi patris in me cumulata beneficia, nihil magis me tenuit, quam ut iis aliquid

non prorsus indignum exhiberem. Dubitantem autem de argumento, in quo vires quantulascunque meas periclitarer, advertit me quaestio, a nobilissima facultate literaria in Academia Lugduno-Batava proposita, de loco philosophiae moralis, qui est de consolatione, ut quas philosophi antiqui Graeci ad consolandos miseros adhibuissent rationes, colligerentur, quidque iis esset tribuendum, disquireretur. Quod argumentum continuo me cepit, atque, ut ei ex viribus responderem, incitavit. Admodum enim mihi placebat ratio, qua optimum patrem saepius de antiqua philosophia ita disserentem audiveram, ut esset veluti προπαιδεία *ad verissimam, qua nos gaudeamus, religionem. «Religio, sic ille in Initiis phil. Plat. monuit, religio apud veteres non «habebat, quo expleret cultiorum hominum animos. «Poetica erat et tota referebatur ad sensus varia «ratione afficiendos. Interiorem doctrinam continebant mysteria, sed nisi quis philosophia esset im«butus, non multum sane inde proficere poterat. — «Philosophia igitur cultissimo cuique homini ma«xime erat colenda, quippe sola animum imbuens «sensibus celsioribus et erigens hominem ad divinae «naturae sublimitatem. Quo factum, ut instar esset «veteribus religionis omnis, certe munera eius su«sciperet longe gravissima.» Haec igitur saepe mecum*

reputans, summa cum voluptate legebam, quae ipse et Wyttenbachius de antiquorum, in primis Platonis, de divina natura deque animi immortalitate doctrina monuerint, ut quo illi in gravissimis illis placitis ratione sua pervenissent, perspicuum mihi fieret. Eadem quoque caussa quaestionem illam de consolatione admodum mihi commendabat. Noveram enim et acceperam a teneris, quae religionis Christianae esset in consolandis miseris et lenienda aegritudine praestantia: accuratiore idcirco disquisitione dignissima videbatur quaestio, quid hac in re praestitisset antiqua philosophia, quaeque ipsius essent in gravissimo hoc loco merita.

Quod consilium cum dilectissimo patre communicanti, tantum aberat, ut rem dissuaderet, ut me ad perficiendum etiam atque etiam incitaret. Quumque deinde disquisitionem meam non prorsus displicuisse viris Clarissimis accepissem, ille mihi auctor fuit, ut eandem, secundis curis submissam, publice defenderem. Quod eo lubentius faciebam, quum jam ipsius auxilio et consiliis me fruiturum esse sperarem. Neque spes me fefellit. Imbecillitati enim meae succurrens, explicuit et removit difficultates, lucem affudit obscuris, crebrisque sermonibus id effecit, ut, quid de antiquorum hac in re studiis esset statuendum, magis intelligerem. Attamen, quod ipsius auspiciis incepe-

ram. eodem duce eheu! perficere mihi non contigit. Susceptum enim fatale istud iter, optimo patre, integerrimo et benevolentissimo fautore nos orbavit in mediis peregrinis, qui, paucis exceptis, neque dolorem nostrum intelligere, neque, quanta esset jacturae nostrae magnitudo, suspicari poterant. Diutius in recolenda tristissima illa et acerbissima calamitate morari nolo, ut ne dolorem nostrum, vix aliquatenus delinitum, renovem et augeam: sed grato animo recordemur illorum studii, qui optimi parentis memoriam tam praeclare tam pie celebrarunt, quique, quanto erga patrem ducerentur amore, filiis et re et verbis ostenderunt. In quibus ante omnes commemorandi mihi sunt viri Clarissimi S c h r ö d e r u s *et* G o u d o e v e r u s, *praeceptores in literis dilectissimi, quorum ille me in privatam suam disciplinam admittens, gravissima mihi tradidit explicuitque philosophiae recentioris placita;* G o u d o e v e r u s *autem, quem et antea magni faciebam et amabam prae institutione sua ac benevolentia, nunc autem et diligo et veneror ob summum, quo ducitur, erga parentem nostrum amorem, quem saepius et privatim nobis et publice testatus amantissimeque professus est: hic igitur, ut inceptam disquisitionem ad finem perducerem, adhortatus, tale mihi praebuit auxilium, tantaque me semper humanitate et benevolentia excepit,*

ut ipsius beneficiorum memoriam nullus unquam deleturus sit dies. Quid autem duumviris hisce debeam, sentire magis, quam verbis exprimere possum, neque tibi commemorare opus est, qui et ipse egregia utriusque institutione usus, quae sit eius vis ac praestantia, cognovisti et coram me saepius es professus.

Atque sic quidem, frater carissime, absolvi disquisitionem hancce, longe aliis, quam quum inciperem, animi sensibus. Desideramus enim virum amantissimum, cuius praesentia omnia laeta jucundaque faciebat, desideramus optimum parentem, cuius auxilium et consilia implorantibus nunquam defuerunt, desideramus integerrimum amicum fidissimumque vitae nostrae ducem. Id vero acerbissima illa, quam ploramus neque plorare facile desinemus, calamitas me docuit, quae nostra sit prae antiquis felicitas, quod verissimam profiteamur religionem, huiusque ad leniendam aegritudinem solatiis uti possimus. Nunc potissimum intellexi, quam vere idem ille in scriptis monuerit, philosophiam antiquam in exquirendis veris solatiis eo tetendisse ac finivisse, quo incipiat divina nostra religio. Non enim mutabilis atque injusta fuit fortuna, quae amantissimum nobis eripuit virum, sed Providentia fuit divina, quae ante hos duodecim annos optimum parentem, gravi morbo correptum, in valetudinem restituens et servans, ut

nobis, tantilla aetate, et dux esset in studiis nostris, et vero exemplum, quod in omni vita sequeremur, nunc ipsum ex hisce terris vocavit, ut in aliis regionibus majorem veramque felicitatem perciperet. Non igitur mortuus ille est, sed vivit, immo nunc demum vitam vere vitalem agit, idque perficere ac perspicere potest, quod per totam vitam assequi studuerat: vivit in animis nostris, semper quid quantumque ipsi debeamus, recordaturis: vivit in scriptis suis, quae legentes ipsum adspicere, ipsum monentem, adhortantem audire nobis videmur, quaeque σπέρμα *continent*, ὅθεν ἄλλοι ἐν ἄλλοις ἤθεσι φυόμενοι τοῦτ' ἀεὶ ἀθάνατον παρέχειν ἱκανοὶ καὶ τὸν ἔχοντα εὐδαιμονεῖν ποιοῦντες, εἰς ὅσον ἀνθρώπῳ δυνατὸν μάλιστα.

Tu autem, carissime frater, quocum non sanguinis tantum, verum etiam amicitiae vinculis me conjunctum esse laetor, tu mihi studiisque meis favere eamque mihi benevolentiam et opem praestare pergas, quam nunquam roganti denegasti. Quae futura vitae nostrae sit ratio, ignoramus; sed hoc constans sit nobis summumque propositum, ut paterna nos disciplina non indignos praebeamus; ut, si postea denuo cum optimo illo conjungamur, non erubescamus, sed recti conscientiâ ipsi grati acceptique simus.

Scripsi Trajecti ad Rhenum
mense Majo MDCCCXL.

CONSPECTUS.

PARS PRIOR.

DE GRÆCORUM PHILOSOPHORUM SCRIPTIS ET ARGUMENTIS CONSOLATORIIS.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIS, CONSOLATIONUM, QUAE AD MORTEM PERTINENT, SCRIPTORIBUS.

CAPUT II.

CAPUT III.

Ὦ φιλοσοφία, τι ῥᾳστά σοι τὰ ἐπιτάγματα λέγεις, φίλει κἂν ἀποβάλῃ τις, λέγεις, μὴ λυποῦ.

EUPHRANTES APUD STOBÆUM.

INTROITUS.

Fuit haec communis antiquorum de vita humana sententia, eam miseriarum et calamitatum ita esse plenam, ut enumeratione facta tam bonorum quam malorum, quae homini in vita accidant, haec illis longe essent superiora. Respiciebant morbos, quibus vel ipsi afflicti erant vel necessarios cruciatos videbant, enumerabant animi perturbationes, metum, mentis aegritudinem, libidines, quibus quis placide vivere nequit, computabant porro cetera vitae infortunia, exsilium, paupertatem, servitutem, fortunaeque in ambiendis magistratibus vel perficiendis consiliis repulsam. Quae quum ad male misereque vivendum satis essent gravia, accedebat tamen aliud, quod vel unum, quominus quis jucunde vitam ageret, impediebat. Angebat enim ferrea mors, quae nullis precibus, nullis sacrificiis placabatur, quam omnes subire debebant, quam, qualis revera esset, ignorabant plane. Instabat illa velut spectrum, quod atris manibus unumquemque arripiebat, neminique parcens liberos medio aetatis flore parentibus, parentes autem liberis

auferebat, ingentique eos afficiebat tristitia. Hinc vitam homini ab invido Deo *εἰς τιμωρίαν* datam arbitrabantur, ut ipse eorum calamitatibus laetaretur; hinc tot condiderunt opera, quibus res humanas deplorarunt[1]); hinc celebrabatur Hesiodi illud:

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.[2])

Immo vero eo procedebant, ut illud ipsum, esse hominem, multa ma'a significare contenderent, unde Diphilus:[3])

Ἄνθρωπός εἰμι, τοῦτο δ' αὐτὸ τῷ βίῳ
Πρόφασιν μεγίστην εἰς τὸ λυπεῖσθαι φέρει.

Attamen prout humana fert natura, ut si quem oneratum vel periculis versantem conspicimus, ei succurramus et quoad ejus fieri potest, molestiis sublevemus, sic quoque lugentibus haud defuit auxilium. Adstare enim iis solebant amici, qui colloquendo si non auferre, tamen minuere dolores, et adhortatione efficere studebant, ut calamitates aequo ferrent animo, neque moerore sese ad desperationem duci sinerent. Sic ortum est consolandi munus, quod humanae naturae ita convenit, ut haud absurde una cum ortis calamitatibus natam consolationem diceres. Hoc munus postea sibi vindicavit philosophia, quae con-

---

1) Vid. Welcker *Prodikus vom Keos*, *Vorgänger des Sokrates* in *Rhein. Museum für Phil.* Vol. I, p. 608 — 627, qui veterum hac de re scripta refert.

2) Hesiod. *Ἔργ. κ. Ἡμ.* vs. 101.

3) Apud Stobaeum Flor. t. 98, 6 Ed. Gaisf, quo titulo plures huiusmodi antiquorum sententias collegit.

solandi argumenta rationesque excogitare ac disponere nitebatur, immo vero in iis ita elaborarunt philosophi, ut deinceps philosophiae moralis haud exigua pars haberetur consolatio. Praeiverunt tamen iis ac veluti viam monstrarunt alii, quos hoc loco breviter commemorare haud abs re esse videtur.

Ut in nullis non rebus, sic quoque in loco de consolatione philosophos praecesserunt poetae. Vetustissimus ille, idemque simplicissimus omnium, Homerus Achillem inducit Priamum de morte Hectoris consolantem eique persuadentem bono sit animo, quum sortem illam divinitus immissam lugendo mutare non possit[1]; tum etiam in memorabili illo de Hectoris ab Andromacha discessu loco, illum facit uxorem suam, utne lugeat, adhortantem, cum nemo inveniatur, qui fatum suum aufugere possit.[2] Latiorem deinde hujus loci explicandi campum habuerunt poetae cum elegiaci tum lyrici, in quibus memorandi sunt ante omnes Archilochus[3] et Pindarus, qui θρήνοις suis

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet orco: [4]

1) Iliad. XXVI. vs. 522.

2) Ibid. VI. vs. 486. Cf. Petrus La Seine *de Homeri Nepenthe* in Gronov. Ant. Graec. Thes. Vol. XI, p. 1275 sqq.

3) Cf. de hoc poeta Wyttenb. ad Plut. p. 23 A & B et p. 33 B.

4) Horat. *Carm.* l. IV Od. 2 vs. 21 Cff. de θρήνοις hisce Dion. Halyc. *Ars Rhet.* c. 6. Vol. V. p. 250. Ed. Reisk. et Wyttenb. *Disp. de an. imm.* in Opusc. Vol. II, p. 538. et annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 121 C.

atque simul defunctorum cognatos alloqui iisque medicinam afferre studuit. Neque tragicis deinde haec opportunitas defuit; cum enim hoc tragoediis esset proprium, ut heroes aliique in scena proponerentur summis calamitatibus afflicti, rei naturae nihil magis videbatur consentaneum, quam ut simul prudentes peritique viri inducerentur, qui illos bono esse animo neque infortuniis prorsus devinci admonerent. Hinc tot apud tragicos inveniuntur consolandi argumenta, quibus egregie postea usi sunt philosophi, quorumque magnam partem collegit Stobaeus.[1]) Quod vero illi passim in scriptis fecerant, hoc data opera egit Antimachus, qui in elegia, *Lyde* inscripta, se ipse in obitu uxoris Lydae consolatus esse dicitur, *ἐξαριθμησόμενος τὰς ἡρωικὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.*[2])

Mox autem in muneris societatem accesserunt prosae orationis scriptores, oratores, philosophi. Quorum quidem illi egregiam consolandi opportunitatem habuerunt orationibus dicendis, vulgo *ἐπιταφίοις* vocatis, in quibus defunctos laudare, res gestas eorum et memoriam celebrare, simulque cognatis et amicis et vero etiam

---

1) Stob. Flor. t. 124 Ed. Gaisf. cuius inscriptio est *παρηγορικά,* ubi eadem fere consolandi argumenta, quae deinde uberius explicuerunt philosophi, a poetis jam adhibita invenies. Ceterum in choris etiam tragicis consolationi locus erat, quum enim illi maxime hymnis, threnis et praeceptis de rite instituenda vita constarent, in threnis maxime poetae opportunitatem habuerunt, deplorandi res humanas, simulque medicinam afferendi iis, qui in malis versabantur. Qua de re vid. Heeren *de chori Gr. trag. natura et indole* Gott. 1784, p. 15, 32 et 42.

2) Vid. Plutarchus *Cons. ad Apoll.* p. 106 C. Eius reliquias collegerunt Schellenberg *Antimachi Colophonii reliquiae* 1786, et Blomfield *Diatr. de Antimacho poeta et grammatico Colophonio* 1813.

civitati adimere, quoad fieri posset, tristitiam eosque ad animi aequabilitatem reducere studebant. [1]). Consolationem autem praecipuum earum propositum fuisse inde quoque patet, quod sermonis consuetudine *λόγοι παραμυθητικοὶ* vocantur, ut notat Pollux: *Λόγοι δ' ἐρεῖς παραμυθητικοὶ, παρηγορικοὶ, παρηγορητικοὶ, νουθετικοὶ, σωφρονιστικοὶ καὶ τὰ ὅμοια· ἐρεῖς δὲ καὶ λόγοι ἐπιτάφιοι, ἐπικήδειοι, ἐλεγεῖα, ἐπιγράμματα.* [2]) Sponte autem hic unicuique ob mentem versatur praeclara illa Periclis apud Thucydidem funebris oratio, non tam oratoria facultate, qua cives pro patria mortuos laudat, quam arte, qua populum Atheniensem et defunctorum parentes, liberos et fratres aequo esse animo adhortatur, una in paucis insignis. [3]) Ejusdem generis est cum oratio apud Platonem in Menexeno et Isocratis oratio in Evagoram, tum Aristidis oratio XI. *εἰς Ἐτεώνεα ἐπικήδειος*, et XII. *ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος*, tum quae feruntur nominibus Lysiae et Demosthenis; illius quidem *ἐπιτάφιος τοῖς τῶν Κορινθίων βοηθοῖς*, huius vero oratio, qua ex solenni more Athenienses

---

1) Hunc morem laudandi defunctos milites Athenienses ab Aegyptiis mutuasse auctor est Diog. Laert., monente interprete ad Demosth. *ἐπιτάφιον λόγον* init., qui tamen Laertii locum non indicavit. Solis vero Atheniensibus hunc morem proprium fuisse judicavit Demosth. *adv. Lept.* p. 499 B. Cf. de funebribus orationibus Stallbaum *Prolegg. ad Plat. Menexenum.*

2) Pollux III. 100. Praeclare de funebri oratione Plato in Menexeno p. 236 E. *δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται, ἐκγόνοις μὲν καὶ ἀδελφοῖς μιμεῖσθαι τὴν τῶνδε ἀρετὴν παρακελευόμενος, πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος.*

3) Thucyd. II. 35.

in acie defunctos laudavit. Huiusmodi orationes scripsisse dicuntur Gorgias, Archinus[1]) Theopompus,[2]) Hyperides,[3]) Naucrates,[4]) alii, quae tamen temporis injuria ad unam omnes perierunt. Fuerunt etiam alii et rhetores et oratores, qui ex industria de hoc loco egerunt, sive ut alios de necessariorum morte aliisve calamitatibus consolarentur, sive ut universe de consolandi officio quaedam praeciperent. Scilicet egregia haec videbatur explicandi oratoriam facultatem opportunitas, ut de rerum humanarum vicissitudinibus fortunaeque inconstantia agerent. Quod maxime fecit Prodicus, si fides habenda est Aeschini, qui in Axiocho Socratem huius sophistae sermonem de vitae miseriis referentem inducit.[5]) In his praeterea memorandi sunt cum Antiphon, qui Corinthi in taberna prope forum publice professus *τέχνην ἀλυπίας*, et librum hoc nomine scripsisse dicitur, atque auditoribus promisisse sermones *νηπενθεῖς, ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἐρούντων ἄχος, ὃ μὴ ἐξέλοι τῆς γνώμης*:[6]) tum Alcidamas, qui, teste

1) Funebrem eius orationem laudat Plato *Menex.* p. 403. A. Cf. de eo Ruhnkenius *Hist. crit. orat. Gr.* in Opusc. Vol. I, p. 316.

2) Huius oratio laudatur in funere Mausoli regis Cariae, de qua vid. Pflugk *de Theopompi Chii vita et scr.* p. 22. Cf. Wichers *Theopompi Chii fragm.* p. 11 sqq.

3) Hic in primis dicendis orationibus funebribus laudatur a Longino *de Sublim.* Sect. 34. Cf. Toupii ad h. l. annotatio p. 212. Fragmentum legitur apud Stob. Flor. t. 124, 36 Ed. Gaisf.

4) Vid. Dion. Halyc. in *Arte Rhet.* c. 6 cui titulus est *μέθοδος ἐπιταφίων*, ubi hunc et ceteros modo laudatos egregia in hoc genere exempla dedisse affirmat. Cf. Meursius *Lectt. Att.* l. IV. c. 4 et Ruhnkenius Op. l. p. 367.

5) Aesch. *Axiochus* c. 7. Cff. Cl. Geel *Hist. crit. Soph.* in *Act. Soc. Traj.* P. II. p. 130 et 135 sqq. Welcker *Prodikus vom Keos* p. 608. sqq.

6) Vidd. Plut. *Vit. X. Oratt.* p. 833 C. Philostratus *Vit. Soph.* I.

Cicerone, rhetor antiquus in primis nobilis, *laudationem mortis* scripsit, quae constabat enumeratione humanorum malorum. [1]) Huc item referendae sunt Dionis Chrysostomi orationes sextadecima *περὶ λυπῆς* et tricesima *Χαρίδημος* inscripta, de quo idem pronunciare licet, quod de Alcidamante Cicero, huic rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. [2])

Quas autem ad moerentium animos erigendos rationes adhibuerant poetae, et magna dicendi vi ornabant oratores, easdem philosophi sedulo colligere, justo ordine disponere, variis disputationibus novisque argumentis confirmare studuerunt. Conveniebat enim hoc consolandi munus plane cum studiis philosophiae. Cum enim haec esset philosophiae moralis propria natura, ut inquireret in res humanas, hominisque indolem, cupiditates atque ingenii animique facultates explorare studeret, non potuit non de luctu quoque agere, et qualis vera esset ipsius natura, indagare. Ipsae adeo, quibus in consolando utebantur, rationes pleraeque ad philosophiam pertinebant: sic v. c. locus de animi post mortem conditione, quod

---

15, 3. Alium hunc Antiphontem esse ac Sophili filium putat Fabricius *Bibl. Gr.* I. p. 835, Rhamnusium vero illorum sermonum auctorem habet Lud. Cresolius in *Theatro veterum Rhet.* in *Thes. Ant. Gr.* Vol. X. p. 35. Cf. Meursius in *Bibl. Att.* in *Thes. Ant. Gr.* vol. X. p. 1422. Mirum est Rhunkenium in *Disp. de Antiphonte* nullam mentionem de eius *τέχνῃ ἀλυπίας* fecisse. Fragmenta autem, quae Antiphontis nomine Stobaeus Flor. tit. 6, 7, tit. 98, 56 et 63 Ed. Gaisf. affert, ex eius libro laudato desumta videntur.

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 48, quae autem ibi sequuntur, ex Alcidamantis libro desumta esse putant interpp. ad h. l. De Alcidamante scripsit Spengel in eius *συναγωγῇ τέχνων.* Stutg. 1828.

2) Cic. *Tusc. Q.* I. l.

gravissimum est consolandi argumentum, totus e philosophiae ditione erat desumtus. Sic autem factum, ut deinde consolatio suum in philosophia, ex Posidonii distributione, locum haberet. Cum enim Stoici dividerent ethicam εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς, καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον, καὶ εἰς τὸν περὶ παθῶν καὶ περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ τέλους, περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων, καὶ περὶ τῶν καθηκόντων, προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν, 1) Posidonius non tantum praeceptionem sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam judicavit, 2) quae ex ejus sententia subdivisio fuisse videtur loci τῶν προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν. Idem placuisse Eudoro Academico memoratur, 3) qui ethicam in tres partes, τὸ μὲν περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας, τὸ δὲ περὶ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ περὶ τὴν πρᾶξιν, ac postremam hanc partem sic divisit: τοῦ δὲ περὶ τῆς πράξεως λόγου, ὁ μέν ἐστι περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις, ὁ δὲ περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπὸ τινῶν πράξεων· — καὶ ὁ μὲν περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις διαιρεῖται εἴς τε τὸν ὑποθετικὸν καὶ τὸν προτρεπτικόν. — ὁ δὲ περὶ τῶν ἀποτρεπόντων καλεῖται παραμυθητικός, ὅς καλούμενός ἐστι πρὸς ἐνίων παθολογικός.

---

1) Diog. Laert. VII. 84. quem locum affert Cl. Bakius *Disp. de Posidonio* p. 186.

2) Verba sunt Senecae *Epist.* 95.

3) Vid. Stobaeus *Eclog. Ethic.* p. 161, 162 Cf. Heerenus ad h. l. Vol. II. p. 47 ubi dicit: *Eudorus ille quis et quo tempore vixerit, incertum est; nil constat, nisi quod Simplicius in categ. Aristotelis passim Eudorum Academicum commemorat, qui in Aristotelis categorias commentatus fuerat. Scripsit, ut ex Stobaeo apparet,* διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου *et quidem* προβληματικῶς *i. e. ut quaestiones, quas de singulis locis movissent philosophi, excuteret.*

Num vero ceteri quoque philosophi consolationi separatum in philosophia morali tribuerint locum, prae scriptorum hac de re silentio incertum est, [1]) sed hoc est verissimum, quam plurimos ei suum et laborem et operam impendisse, ut adeo paulatim in consolatorio loco tot exsisterent capita et scholae, quot haberentur calamitatum genera. Qua de re audiamus Ciceronem, ubi de consolantis officio disserit: „Sunt enim, ait, certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant: separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis: haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt: opus enim quaerunt: quamquam plenae disputationes delectationis sunt. Et tamen, ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur, sic philosophia cum universam aegritudinem sustulit, tamen si quis error aliunde exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exsilium, aut eorum, quae modo dixi, si quid exstitit, singularum sunt propriae consolationes." [2]) Neque tantum philosophi in singulis vitae infortuniis consolationes scripserunt, sed fuerunt adeo, qui latius hunc locum explicarent, cumque Ciceronem querentem audimus, nullum adhuc rhetorem ex industria de hoc loco praecepisse, [3]) huic desiderio a Dionysio Haly-

---

1) Idem quoque placuisse Chrysippo verosimile est, qui tres conscripsit libros *περὶ παθῶν*, iisque quartum addidit *θεραπευτικὸν ἢ ἠθικὸν* inscriptum, in quo de auferendo dolore deque consolatione praecepit, qua de re pluribus infra.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 34.

3) Cic. *de Orat.* II. 15.

carnassensi aliquo modo satisfactum est, cuius μέθοδος ἐπιταφίων hodieque exstat. Ipse Cicero etiam, data opera, hunc locum tractavit deque eo egregie meruit in Quaestionibus Tusculanis, quae, ut summo quidem Wyttenbachio videtur, [1]) plane ad rationem τόπου παραμυθητικοῦ, a Posidonio designati, descriptae sunt.

Apparet jam quodammodo ex hisce paucis, quae attulimus, quo loco ab antiquis habita sit consolatio. Quo magis est mirandum ex recentioribus neminem adhuc, quoad sciam, de industria hunc philosophiae locum tractasse, neque quae antiquorum in ea fuerint merita, exposuisse. [2]) Novimus enim, quae sit religionis Christianae

---

1) Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699. In tertio autem et quarto Tusculanarum libro in primis Chrysippum secutus esse Cicero videtur Cl. Bakio *Disp. de Posidonio* p. 196, cui assentitur Baguet *Comm. de Chrysippo* p. 299. Goerensius vero ad Cic. Acad. II. 44, Ciceronem dicit in lib. III. Tusc. Crantoris librum περὶ πένθους paene totum suum fecisse, quae verba, etsi cum illa sententia pugnare videantur, optime tamen cum illa conciliari possunt. Cicero enim scribendo illo opere respexit ubivis aureum illum Crantoris libellum, quem laudibus saepius extulit, cuiusque plures sententias ac consolandi argumenta in libro illo servavit. Conjunxit tamen cum huius placitis Stoicorum de perturbationibus animi doctrinam, ut aegritudinem in sapientem cadere non posse ostenderet, atque ita refellere studuit Crantoris sententiam, qui naturales esse docuerat affectiones animi, magisque Chrysippum et Stoicos secutus, non natura sed opinione constare aegritudinem eandemque voluntarie suscipi uberius explicuit.

2) Fuerunt quidem, qui de consolationibus antiquorum quaedam monerent, non vero qui totum illum explicarent locum. In his censendus est Petrus la Seine, qui in commentatione *de Nepenthe Homeri* (Gronov. *Thes. Ant. Gr.* vol. XI.) cap. 3 de consolatione agens, magis musicae quam philosophiae vim ad sedandos dolores spectavit. Hier. Cardanus *de Consolatione libri III.* nonnulla quidem antiquorum loca attulit, sed magis, ut suam confirmaret sententiam, quam ut illorum in hoc loco merita indagaret. Magis id attendit J. C. G. Ernesti *disser-*

in leniendo dolore et consolandis miseris praestantia, atque ita accuratiore investigatione dignissima quaestio est, quo, duce philosophia, in eadem re pervenerint antiqui. Haec enim apud eos lex fere atque ars vitae erat, haec sola medicina animi habebatur, haec puriorem docendi religionem partes sibi vindicabat. 1) Itaque nobis, disputandi argumentum quaerentibus, in primis hic philosophiae locus arrisit, ut quibus consolandi rationibus usi fuerint antiqui philosophi Graeci, quantumque iisdem tribuendum sit, data opera ex viribus exploraremus. Dolemus

---

lesene Briefe Cicero's, qui in notis nonnihil monuit de consolandi argumentis, quibus in epistolis suis usus est Cicero, quamquam ille hunc tantum scriptorem, non vero Graecos philosophos respexit. Meinersius autem in diss. *Betracht. über d. Tod u. Trostgr. der Alten wider die Schrecken desselben* (*Verm. Phil. Schr.* Vol. II.) p. 166 sqq. ut et Sartorius *Over de troostgr. der ouden bij den dood hunner kinderen* (*Mag. voor wetensch. etc.* door v. Kampen Vol. I. P. II.) nonnulla tantum eorum scripta, ut Aeschinis, Plutarchi, Senecae attenderunt, neglexerunt vero ceteros. Neque id fecerunt Fest in opere *Beytr. zur Beruhigung über diejenigen Dinge, die dem Menschen unangenehm sind.* Leipz. 1789, 5 Voll., neque ceteri, qui in hoc opere laudantur, Weitenkampf, Weishaupt, qui omnes magis religionis Christianae quam veterum philosophorum consolandi argumenta attenderunt. Idem dicendum de disp. Reinhardi *de praestantia religionis Christ. in consolandis miseris* (*Opusc. Acad.* Vol. II.) p. 289 sqq., licet tamen ille multis locis antiquorum scripta adhibuerit. Multum vero me in hoc loco tractando adjuverunt tum Ruhkopf *Prolegg. ad Sen. Cons. ad Helv.* Vol. I. p. 156 sq., tum vero in primis Wyttenbachius *Prolegg. in annot. ad Plut. Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 697 sqq. qui catalogum dederunt scriptorum veterum, qui consolatoria scripserunt opera, licet tamen nonnullos praetermiserint, ut Metrodorum, Panaetium, Posidonium, ut et scriptores de exsilio et senectute.

1) Cic. *de Finn.* II. 5. Cf. dilectissimi patris *Init. phil. Plat.* Vol. I. p. 61, 66.

auferebat, ingentique eos afficiebat tristitia. Hinc vitam homini ab invido Deo *εἰς τιμωρίαν* datam arbitrabantur, ut ipse eorum calamitatibus lactaretur; hinc tot condiderunt opera, quibus res humanas deplorarunt [1]; hinc celebrabatur Hesiodi illud:

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα
Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι. [2]

Immo vero eo procedebant, ut illud ipsum, esse hominem, multa ma'a significare contenderent, unde Diphilus: [3]

Ἄνθρωπός εἰμι, τοῦτο δ' αὐτὸ τῷ βίῳ
Πρόφασιν μεγίστην εἰς τὸ λυπεῖσθαι φέρει.

Attamen prout humana fert natura, ut si quem oneratum vel periculis versantem conspicimus, ei succurramus et quoad ejus fieri potest, molestiis sublevemus, sic quoque lugentibus haud defuit auxilium. Adstare enim iis solebant amici, qui colloquendo si non auferre, tamen minuere dolores, et adhortatione efficere studebant, ut calamitates aequo ferrent animo, neque moerore sese ad desperationem duci sinerent. Sic ortum est consolandi munus, quod humanae naturae ita convenit, ut haud absurde una cum ortis calamitatibus natam consolationem diceres. Hoc munus postea sibi vindicavit philosophia, quae con-

---

1) Vid. Welcker *Prodikus vom Keos*, *Vorgänger des Sokrates* in *Rhein. Museum für Phil.* Vol. I, p. 608 — 627, qui veterum hac de re scripta refert.

2) Hesiod. *Ἔργ. κ. Ἡμ.* vs. 101.

3) Apud Stobaeum Flor. t. 98, 6 Ed. Gaisf, quo titulo plures huiusmodi antiquorum sententias collegit.

solandi argumenta rationesque excogitare ac disponere nitebatur, immo vero in iis ita elaborarunt philosophi, ut deinceps philosophiae moralis haud exigua pars haberetur consolatio. Praeiverunt tamen iis ac veluti viam monstrarunt alii, quos hoc loco breviter commemorare haud abs re esse videtur.

Ut in nullis non rebus, sic quoque in loco de consolatione philosophos praecesserunt poetae. Vetustissimus ille, idemque simplicissimus omnium, Homerus Achillem inducit Priamum de morte Hectoris consolantem eique persuadentem bono sit animo, quum sortem illam divinitus immissam lugendo mutare non possit[1]; tum etiam in memorabili illo de Hectoris ab Andromacha discessu loco, illum facit uxorem suam, utne lugeat, adhortantem, cum nemo inveniatur, qui fatum suum aufugere possit.[2] Latiorem deinde hujus loci explicandi campum habuerunt poetae cum elegiaci tum lyrici, in quibus memorandi sunt ante omnes Archilochus[3] et Pindarus, qui θρήνοις suis

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet orco: [4]

---

1) Iliad. XXVI. vs. 522.

2) Ibid. VI. vs. 486. Cf. Petrus La Seine *de Homeri Nepenthe* in Gronov. Ant. Graec. Thes. Vol. XI, p. 1275 sqq.

3) Cf. de hoc poeta Wyttenb. ad Plut. p. 23 A & B et p. 33 B.

4) Horat. *Carm.* l. IV Od. 2 vs. 21 Cff. de θρήνοις hisce Dion. Halyc. *Ars Rhet.* c. 6. Vol. V. p. 250. Ed. Reisk. et Wyttenb. *Disp. de an. imm.* in Opusc. Vol. II, p. 538. et annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 121 C.

atque simul defunctorum cognatos alloqui iisque medicinam afferre studuit. Neque tragicis deinde haec opportunitas defuit; cum enim hoc tragoediis esset proprium, ut heroes aliique in scena proponerentur summis calamitatibus afflicti, rei naturae nihil magis videbatur consentaneum, quam ut simul prudentes peritique viri inducerentur, qui illos bono esse animo neque infortuniis prorsus devinci admonerent. Hinc tot apud tragicos inveniuntur consolandi argumenta, quibus egregie postea usi sunt philosophi, quorumque magnam partem collegit Stobaeus. 1) Quod vero illi passim in scriptis fecerant, hoc data opera egit Antimachus, qui in elegia, *Lyde* inscripta, se ipse in obitu uxoris Lydae consolatus esse dicitur, *ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωικὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.* 2)

Mox autem in muneris societatem accesserunt prosae orationis scriptores, oratores, philosophi. Quorum quidem illi egregiam consolandi opportunitatem habuerunt orationibus dicendis, vulgo *ἐπιταφίοις* vocatis, in quibus defunctos laudare, res gestas eorum et memoriam celebrare, simulque cognatis et amicis et vero etiam

1) Stob. Flor. t. 124 Ed. Gaisf. cuius inscriptio est *παρηγορικά*, ubi eadem fere consolandi argumenta, quae deinde uberius explicuerunt philosophi, a poetis jam adhibita invenies. Ceterum in choris etiam tragicis consolationi locus erat, quum enim illi maxime hymnis, threnis et praeceptis de rite instituenda vita constarent, in threnis maxime poetae opportunitatem habuerunt, deplorandi res humanas, simulque medicinam afferendi iis, qui in malis versabantur. Qua de re vid. Heeren *de chori Gr. trag. natura et indole* Gott. 1784, p. 15, 32 et 42.

2) Vid. Plutarchus *Cons. ad Apoll.* p. 106 C. Eius reliquias collegerunt Schellenberg *Antimachi Colophonii reliquiae* 1786, et Blomfield *Diatr. de Antimacho poeta et grammatico Colophonio* 1813.

civitati adimere, quoad fieri posset, tristitiam eosque ad animi aequabilitatem reducere studebant. [1]). Consolationem autem praecipuum earum propositum fuisse inde quoque patet, quod sermonis consuetudine λόγοι παραμυθητικοὶ vocantur, ut notat Pollux: *Λόγοι δ' ἐρεῖς παραμυθητικοὶ, παρηγορικοὶ, παρηγορητικοὶ, νουθετικοὶ, σωφρονιστικοὶ καὶ τὰ ὅμοια· ἐρεῖς δὲ καὶ λόγοι ἐπιτάφιοι, ἐπικήδειοι, ἐλεγεῖα, ἐπιγράμματα.* [2]) Sponte autem hic unicuique ob mentem versatur praeclara illa Periclis apud Thucydidem funebris oratio, non tam oratoria facultate, qua cives pro patria mortuos laudat, quam arte, qua populum Atheniensem et defunctorum parentes, liberos et fratres aequo esse animo adhortatur, una in paucis insignis. [3]) Ejusdem generis est cum oratio apud Platonem in Menexeno et Isocratis oratio in Evagoram, tum Aristidis oratio XI. εἰς Ἐτεώνεα ἐπικήδειος, et XII. ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος, tum quae feruntur nominibus Lysiae et Demosthenis; illius quidem ἐπιτάφιος τοῖς τῶν Κορινθίων βοηθοῖς, huius vero oratio, qua ex solenni more Athenienses

---

1) Hunc morem laudandi defunctos milites Athenienses ab Aegyptiis mutuasse auctor est Diog. Laert., monente interprete ad Demosth. ἐπιτάφιον λόγον init., qui tamen Laertii locum non indicavit. Solis vero Atheniensibus hunc morem proprium fuisse judicavit Demosth. *adv. Lept.* p. 499 B. Cf. de funebribus orationibus Stallbaum *Prolegg. ad Plat. Menexenum.*

2) Pollux III. 100. Praeclare de funebri oratione Plato in Menexeno p. 236 E. *δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται, ἐκγόνοις μὲν καὶ ἀδελφοῖς μιμεῖσθαι τὴν τῶνδε ἀρετὴν παρακελευόμενος, πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος.*

3) Thucyd. II. 35.

in acie defunctos laudavit. Huiusmodi orationes scripsisse dicuntur Gorgias, Archinus [1]) Theopompus, [2]) Hyperides, [3]) Naucrates, [4]) alii, quae tamen temporis injuria ad unam omnes perierunt. Fuerunt etiam alii et rhetores et oratores, qui ex industria de hoc loco egerunt, sive ut alios de necessariorum morte aliisve calamitatibus consolarentur, sive ut universe de consolandi officio quaedam praeciperent. Scilicet egregia haec videbatur explicandi oratoriam facultatem opportunitas, ut de rerum humanarum vicissitudinibus fortunaeque inconstantia agerent. Quod maxime fecit Prodicus, si fides habenda est Aeschini, qui in Axiocho Socratem huius sophistae sermonem de vitae miseriis referentem inducit. [5]) In his praeterea memorandi sunt cum Antiphon, qui Corinthi in taberna prope forum publice professus *τέχνην ἀλυπίας*, et librum hoc nomine scripsisse dicitur, atque auditoribus promisisse sermones *νηπενθεῖς, ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἐρούντων ἄχος, ὃ μὴ ἐξέλοι τῆς γνώμης*: [6]) tum Alcidamas, qui, teste

1) Funebrem eius orationem laudat Plato *Menex.* p. 403. A. Cf. de eo Ruhnkenius *Hist. crit. orat. Gr.* in Opusc. Vol. I, p. 316.

2) Huius oratio laudatur in funere Mausoli regis Cariae, de qua vid. Pflugk *de Theopompi Chii vita et scr.* p. 22. Cf. Wichers *Theopompi Chii fragm.* p. 11 sqq.

3) Hic in primis dicendis orationibus funebribus laudatur a Longino *de Sublim.* Sect. 34. Cf. Toupii ad h. l. annotatio p. 212. Fragmentum legitur apud Stob. Flor. t. 124, 36 Ed. Gaisf.

4) Vid. Dion. Halyc. in *Arte Rhet.* c. 6 cui titulus est *μέθοδος ἐπιταφίων*, ubi hunc et ceteros modo laudatos egregia in hoc genere exempla dedisse affirmat. Cf. Meursius *Lectt. Att.* l. IV. c. 4 et Ruhnkenius Op. l. p. 367.

5) Aesch. *Axiochus* c. 7. Cff. Cl. Geel *Hist. crit. Soph.* in *Act. Soc. Traj.* P. II. p. 130 et 135 sqq. Welcker *Prodikus vom Keos* p. 608. sqq.

6) Vidd. Plut. *Vit. X. Oratt.* p. 833 C. Philostratus *Vit. Soph.* I.

Cicerone, rhetor antiquus in primis nobilis, *laudationem mortis* scripsit, quae constabat enumeratione humanorum malorum.[1] Huc item referendae sunt Dionis Chrysostomi orationes sextadecima περὶ λυπῆς et tricesima Χαρίδημος inscripta, de quo idem pronunciare licet, quod de Alcidamante Cicero, huic rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit.[2]

Quas autem ad moerentium animos erigendos rationes adhibuerant poetae, et magna dicendi vi ornabant oratores, easdem philosophi sedulo colligere, justo ordine disponere, variis disputationibus novisque argumentis confirmare studuerunt. Conveniebat enim hoc consolandi munus plane cum studiis philosophiae. Cum enim haec esset philosophiae moralis propria natura, ut inquireret in res humanas, hominisque indolem, cupiditates atque ingenii animique facultates explorare studeret, non potuit non de luctu quoque agere, et qualis vera esset ipsius natura, indagare. Ipsae adeo, quibus in consolando utebantur, rationes pleraeque ad philosophiam pertinebant: sic v. c. locus de animi post mortem conditione, quod

15, 3. Alium hunc Antiphontem esse ac Sophili filium putat Fabricius *Bibl. Gr.* I. p. 835, Rhamnusium vero illorum sermonum auctorem habet Lud. Cresolius in *Theatro veterum Rhet.* in *Thes. Ant. Gr.* Vol. X. p. 35. Cf. Meursius in *Bibl. Att.* in *Thes. Ant. Gr.* vol. X. p. 1422. Mirum est Rhunkenium in *Disp. de Antiphonte* nullam mentionem de eius τέχνῃ ἀλυπίας fecisse. Fragmenta autem, quae Antiphontis nomine Stobaeus Flor. tit. 6, 7, tit. 98, 56 et 63 Ed. Gaisf. affert, ex eius libro laudato desumta videntur.

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 48, quae autem ibi sequuntur, ex Alcidamantis libro desumta esse putant interpp. ad h. l. De Alcidamante scripsit Spengel in eius συναγωγῇ τέχνων. Stutg. 1828.

2) Cic. *Tusc. Q.* l. l.

gravissimum est consolandi argumentum, totus e philosophiae ditione erat desumtus. Sic autem factum, ut deinde consolatio suum in philosophia, ex Posidonii distributione, locum haberet. Cum enim Stoici dividerent ethicam εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς, καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον, καὶ εἰς τὸν περὶ παθῶν καὶ περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ τέλους, περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων, καὶ περὶ τῶν καθηκόντων, προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν,[1]) Posidonius non tantum praeceptionem sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam judicavit,[2]) quae ex ejus sententia subdivisio fuisse videtur loci τῶν προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν. Idem placuisse Eudoro Academico memoratur,[3]) qui ethicam in tres partes, τὸ μὲν περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας, τὸ δὲ περὶ τὴν ὁρμὴν, τὸ δὲ περὶ τὴν πρᾶξιν, ac postremam hanc partem sic divisit: τοῦ δὲ περὶ τῆς πράξεως λόγου, ὁ μέν ἐστι περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις, ὁ δὲ περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπὸ τινῶν πράξεων· — καὶ ὁ μὲν περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις διαιρεῖται εἴς τε τὸν ὑποθετικὸν καὶ τὸν προτρεπτικόν. — ὁ δὲ περὶ τῶν ἀποτρεπόντων καλεῖται παραμυθητικὸς, ὅς καλούμενός ἐστι πρὸς ἐνίων παθολογικός.

---

1) Diog. Laert. VII. 84. quem locum affert Cl. Bakius *Disp. de Posidonio* p. 186.

2) Verba sunt Senecae *Epist.* 95.

3) Vid. Stobaeus *Eclog. Ethic.* p. 161, 162 Cf. Heerenus ad h. l. Vol. II. p. 47 ubi dicit: *Eudorus ille quis et quo tempore vixerit, incertum est; nil constat, nisi quod Simplicius in categ. Aristotelis passim Eudorum Academicum commemorat, qui in Aristotelis categorias commentatus fuerat. Scripsit, ut ex Stobaeo apparet,* διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου *et quidem* προβληματικῶς *i. e. ut quaestiones, quas de singulis locis movissent philosophi, excuteret.*

Num vero ceteri quoque philosophi consolationi separatum in philosophia morali tribuerint locum, prae scriptorum hac de re silentio incertum est, [1]) sed hoc est verissimum, quam plurimos ei suum et laborem et operam impendisse, ut adeo paulatim in consolatorio loco tot exsisterent capita et scholae, quot haberentur calamitatum genera. Qua de re audiamus Ciceronem, ubi de consolantis officio disserit: „Sunt enim, ait, certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant: separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis: haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt: opus enim quaerunt: quamquam plenae disputationes delectationis sunt. Et tamen, ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur, sic philosophia cum universam aegritudinem sustulit, tamen si quis error aliunde exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exsilium, aut eorum, quae modo dixi, si quid exstitit, singularum sunt propriae consolationes." [2]) Neque tantum philosophi in singulis vitae infortuniis consolationes scripserunt, sed fuerunt adeo, qui latius hunc locum explicarent, cumque Ciceronem querentem audimus, nullum adhuc rhetorem ex industria de hoc loco praecepisse, [3]) huic desiderio a Dionysio Haly-

---

1) Idem quoque placuisse Chrysippo verosimile est, qui tres conscripsit libros *περὶ παθῶν*, iisque quartum addidit *θεραπευτικὸν ἢ ἠθικὸν* inscriptum, in quo de auferendo dolore deque consolatione praecepit, qua de re pluribus infra.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 34.

3) Cic. *de Orat.* II. 15.

carnassensi aliquo modo satisfactum est, cuius *μέθοδος ἐπιταφίων* hodieque exstat. Ipse Cicero etiam, data opera, hunc locum tractavit deque eo egregie meruit in Quaestionibus Tusculanis, quae, ut summo quidem Wyttenbachio videtur, [1]) plane ad rationem *τόπου παραμυθητικοῦ*, a Posidonio designati, descriptae sunt.

Apparet jam quodammodo ex hisce paucis, quae attulimus, quo loco ab antiquis habita sit consolatio. Quo magis est mirandum ex recentioribus neminem adhuc, quoad sciam, de industria hunc philosophiae locum tractasse, neque quae antiquorum in ea fuerint merita, exposuisse. [2]) Novimus enim, quae sit religionis Christianae

---

1) Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699. In tertio autem et quarto Tusculanarum libro in primis Chrysippum secutus esse Cicero videtur Cl. Bakio *Disp. de Posidonio* p. 196, cui assentitur Baguet *Comm. de Chrysippo* p. 299. Goerensius vero ad Cic. Acad. II. 44, Ciceronem dicit in lib. III. Tusc. Crantoris librum περὶ πένθους paene totum suum fecisse, quae verba, etsi cum illa sententia pugnare videantur, optime tamen cum illa conciliari possunt. Cicero enim scribendo illo opere respexit ubivis aureum illum Crantoris libellum, quem laudibus saepius extulit, cuiusque plures sententias ac consolandi argumenta in libro illo servavit. Conjunxit tamen cum huius placitis Stoicorum de perturbationibus animi doctrinam, ut aegritudinem in sapientem cadere non posse ostenderet, atque ita refellere studuit Crantoris sententiam, qui naturales esse docuerat affectiones animi, magisque Chrysippum et Stoicos secutus, non natura sed opinione constare aegritudinem eandemque voluntarie suscipi uberius explicuit.

2) Fuerunt quidem, qui de consolationibus antiquorum quaedam monerent, non vero qui totum illum explicarent locum. In his censendus est Petrus la Seine, qui in commentatione *de Nepenthe Homeri* (Gronov. *Thes. Ant. Gr.* vol. XI.) cap. 3 de consolatione agens, magis musicae quam philosophiae vim ad sedandos dolores spectavit. Hier. Cardanus *de Consolatione libri III.* nonnulla quidem antiquorum loca attulit, sed magis, ut suam confirmaret sententiam, quam ut illorum in hoc loco merita indagaret. Magis id attendit J. C. G. Ernesti *auser-*

in leniendo dolore et consolandis miseris praestantia, atque ita accuratiore investigatione dignissima quaestio est, quo, duce philosophia, in eadem re pervenerint antiqui. Haec enim apud eos lex fere atque ars vitae erat, haec sola medicina animi habebatur, haec puriorem docendi religionem partes sibi vindicabat. 1) Itaque nobis, disputandi argumentum quaerentibus, in primis hic philosophiae locus arrisit, ut quibus consolandi rationibus usi fuerint antiqui philosophi Graeci, quantumque iisdem tribuendum sit, data opera ex viribus exploraremus. Dolemus

---

lesene Briefe Cicero's, qui in notis nonnihil monuit de consolandi argumentis, quibus in epistolis suis usus est Cicero, quamquam ille hunc tantum scriptorem, non vero Graecos philosophos respexit. Meinersius autem in diss. *Betracht. über d. Tod u. Trostgr. der Alten wider die Schrecken desselben* (*Verm. Phil. Schr.* Vol. II.) p. 166 sqq. ut et Sartorius *Over de troostgr. der ouden bij den dood hunner kinderen* (*Mag. voor wetensch. etc.* door v. Kampen Vol. I. P. II.) nonnulla tantum eorum scripta, ut Aeschinis, Plutarchi, Senecae attenderunt, neglexerunt vero ceteros. Neque id fecerunt Fest in opere *Beytr. zur Beruhigung über diejenigen Dinge, die dem Menschen unangenehm sind.* Leipz. 1789, 5 Voll., neque ceteri, qui in hoc opere laudantur, Weitenkampf, Weishaupt, qui omnes magis religionis Christianae quam veterum philosophorum consolandi argumenta attenderunt. Idem dicendum de disp. Reinhardi *de praestantia religionis Christ. in consolandis miseris* (*Opusc. Acad.* Vol. II.) p. 289 sqq., licet tamen ille multis locis antiquorum scripta adhibuerit. Multum vero me in hoc loco tractando adjuverunt tum Ruhkopf *Prolegg. ad Sen. Cons. ad Helv.* Vol. I. p. 156 sq., tum vero in primis Wyttenbachius *Prolegg. in annot. ad Plut. Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 697 sqq. qui catalogum dederunt scriptorum veterum, qui consolatoria scripserunt opera, licet tamen nonnullos praetermiserint, ut Metrodorum, Panaetium, Posidonium, ut et scriptores de exsilio et senectute.

1) Cic. *de Finn.* II. 5. Cf. dilectissimi patris *Init. phil. Plat.* Vol. I. p. 61, 66.

prudentia, quod ex scriptis consolatoriis, quae magno fuisse numero constat, nonnisi paucissima commune antiquorum librorum naufragium evaserunt; sed habemus, quo nos ipsi consolemur, quum ex iis, quae ad nos pervenerunt, aliquo modo ceterorum rationem efficere possimus. Id igitur nobis in primis agendum videtur, ut opera deperdita cum ex eorum fragmentis tum ex eorum placitis, quae ab aliis memoriae sunt prodita, quoad ejus fieri possit, restituamus, quo melius inde singulorum philosophorum in consolando ratio appareat.

PARS PRIOR

DE GRAECORUM PHILOSOPHORUM SCRIPTIS ET ARGUMENTIS CONSOLATORIIS.

Caput I.

DE PHILOSOPHIS, CONSOLATIONUM, QUAE AD MORTEM PERTINENT, SCRIPTORIBUS.

Τὶ δὲ τις; τὶ δὲ οὔτις;
Σκίας ὄναρ ἄνθρωπος.
PINDARUS.

§ 1.

Democritus, *Hipparchus*.

Ex philosophis Graecis, quos consolatoria condidisse opera novimus, aetate primus est Democritus Abderites, nobilis ille Leucippi discipulus. Cuius quidem philosophiam attendentibus, mirum nobis minime videri potest, eum huic potissimum philosophiae loco operam suam impendisse. Nam quum negaret immortalitatem animi, Deosque, ut Wyttenbachii sententiam sequar, [1]) verbis quidem relinqueret, re ipsa vero tolleret, fieri ita non po-

---

1) Wyttenb. *Opusc.* vol. II p. 547.

tuit, quin summam felicitatem homini in hac tantum vita assequendam esse ideoque calamitatum acerbitatem, quoad fieri posset, esse minuendam putaret. Hinc summum bonum in *εὐθυμία* positum esse censebat, quam ita definiebat *καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους*,[1] immo de ea data opera egit in opere, quod titulo *κέρας ἀμαλθείας* eum conscripsisse auctor est Diogenes Laertius. Accuratius igitur de hoc opere agamus, ut quid ille de nostro loco monuerit, habeamus perspectum.

Verba Laertii, ubi de hoc Democriti libro loquitur, valde corrupta, ita conjecturâ emendavit Fabricius: *ἀμαλθείας κέρας ἢ περὶ εὐθυμίης ὑπομνημάτων ἠθικῶν η'. Ἡ γὰρ εὐεστὼ οὐχ εὑρίσκεται.*[2] Hoc igitur summi viri de hoc opere est judicium, constitisse illud novem libris, ac singulos libros singulis titulis inscriptos fuisse, ex variis appellationibus, quibus summum bonum designabat, desumtis, ut v. c. unus inscriberetur *ἀταραξίη*, alius *ἀθαμβίη*, alius *ἀθαυμαστίη*, alius denique *περὶ τέλους*, qui a Clemente Alex. laudatur.[3]) Horum autem

1) Diog. Laert. IX. 45.

2) Sic apud Diog. Laert. IX. 46, Democriti scripta ethica enumerantem, legebatur: *Ἀμαλθείας κέρας. Περὶ εὐθυμίης. Ὑπομνημάτων ἢ οἴκων. Ἡ γὰρ εὐεστὼ οὐχ εὑρίσκεται.* Primus hunc locum emendandi signum sustulit Stephanus Monachius conjiciendo pro *ἢ οἴκων, ἠθικῶν*. Vid. Menagius ad h. l.

3) Clem. Alex. 2 Strom. p. 417. Fabric. *Bibl. Gr.* I. p. 764. Minus vero placet, virum cel. inter hosce titulos etiam *κέρας ἀμαλθείας* et *περὶ εὐθυμίης* fuisse opinari, qui generalis totius operis titulus fuisse videtur. Initium autem libri servavit Stobaeus Flor. tit. 103, 25 Ed. Gaisf., quod in Latinum sermonem vertit Seneca *de tranq.*

librorum, ex eiusdem sententia, unus fuit inscriptus εὐεστὼ sive bonum stabile, qui Thrasylli aetate, e quo hunc Democriti librorum catalogum desumsit Laertius, jam perierat. Quae conjectura inde etiam auctoritatem accipit, quod, teste Laertio, Democritus εὐθυμίην sive animi tranquillitatem finem et summum bonum habuerit eamque variis appellaverit nominibus. [1]) Quae quum ita sint, haud absurdum videtur statuere, Democritum in eodem opere, ut ad veram quis perveniret felicitatem, praecepta quaedam dedisse, quibus legentium animos contra vitae calamitates confirmare et luctus acerbitate liberare studuerit. Dicere enim solebat: ἰατρικὴ μὲν σώματος νούσους ἀκέεται, σοφία δὲ ψυχὴν παθῶν ἀπαιρέεται. [2]) Ἡ παιδεία εὐτυχοῦσι μὲν ἐστι κόσμος, ἀτυχοῦσι δὲ καταφύγιον· et haec erat ipsius de vitae calamitatibus sententia, ex iisdem rebus et bona et mala oriri, quod pulchra imagine adumbravit: ἀφ' ὧν, ait, ἡμῖν τἀγαθὰ γίγνεται, ἀπὸ τῶν αὐτῶν τούτων καὶ τὰ κακὰ ἐπαυρισκοί-

---

animi c. 12. Memorat quoque et reprehendit illam sententiam Plut. περὶ εὐθυμίας p. 465. C.

1) Diog. Laert. IX. 45 Stob. *Ecl. Eth.* l. II, c. 7. Cf. Heeren *Comment. de font. Eclog. Stobaei* in edit. sua P. II. T. II, p. 193, qui Democriti librum ὑποθῆκαι inscriptum eundem fuisse ac κέρας ἀμαλθείας putat. — Fabricii sententiam non totam amplexus est Burchard *Fragm. der Moral des Demokritus*, p. 17, qui opus Democriti non variis libris constitisse arbitratur, quum voces ἀταραξίη, ἀθαμβίη, idem fere significantes quod εὐεστὼ, titulos librorum, quibus aliae res tractarentur, indicare potuisse negat. Attamen, quum εὐθυμία late pateat, multaque requirantur, ut tranquillitatem animi quis sibi comparet, singulis libris singula praecepta, quae illuc referebantur, dedisse videtur, ut alio libro de sedando luctu, alio de moderanda laetitia, alio de fugiendo metu et sic deinceps ageret.

2) Clem. Alex. Paed. c. 2., p. 100.

[illegible] — Ε[illegible] [illegible]).

1 Stob. Ecl. Eth. l. II c. 9. 1

2 Stob. Flor. t. 7. 22. Ed. Gaisf.

3 Stob. Ecl. Eth. l. II. c. 9. 2. Prior [illegible] pars le-gitur quoque in Flor. tit. 4, 53: [illegible] emendavit [illegible], ut [illegible] i. e. ut in faciendo seu telo emittendo valere. Cf. Burchard l. l. p. 20.

4; Stob. Flor. t 17, 26. Quapropter infelicium conditionem con-spiciendam esse docuit, ut, comparatione instituta, nos feliciores prae-dicemus: ἐπὶ τοῖς δυνατοῖς οὖν δεῖ ἔχειν τὴν γνώμην καὶ τοῖς παρεοῦσι ἀρκέεσθαι, τῶν μὲν ζηλουμένων καὶ θαυμαζομένων ὀλίγην μνήμην ἔχοντα, καὶ τῇ διανοίᾳ μὴ προσεδρεύοντα, τῶν δὲ ταλαιπωρεόντων τοὺς βίους θεωρέειν, ἐννοεύμενον ἃ πάσχουσι κάρτα, ὅκως ἂν τὰ παρέοντα σοι καὶ ὑπαρχόντα μεγάλα καὶ ζηλωτὰ φαίνηται καὶ μηκέτι πλειόνων ἐπιθυμέοντι συμβαίνῃ κακοπαθέειν τῇ ψυχῇ. — Διόπερ τὰ μὲν μὴ δίζεσθαι χρέων, ἐπὶ τοῖς δὲ εὐθυμέεσθαι χρέων, παραβάλλοντα τὸν ἑωυτοῦ βίον πρὸς τὸν τῶν φαυλότερον πρησσόντων, καὶ μακαρίζειν ἑωυτόν, ἐνθυμεύμενον ἃ πάσχουσι, ὅκως αὐτέων βέλτιον πρήσσῃ τεκαὶ διάγῃ. Stob. Ibid. tit. I., 40.

Cum autem haec esset eius de εὐθυμίᾳ sententia, unice eam comparari, si neque laetitia neque tristitia nimia afficimur, omnem dolorem et luctum funditus tollendum censuit. Hinc illud eius dictum: λύπην ἀδέσποτον ψυχῆς ναρκώσης λογισμῷ ἔκκρουε,[1]) cumque omnia certa quadam necessitate fiant, sapientis esse non inani confici moerore, sed cedere ultro fortunae: ἀλογιστίη μὴ ξυγχωρέειν ταῖσι κατὰ βίον ἀναγκαῖς.[2]) Eos autem, qui vel ipsi metu mortis cruciabantur, vel necessariorum obitum lugebant, hisce verbis erigere ac consolari solebat: γιγνώσκειν χρέων ἀνθρωπίνην βιοτὴν ἀφαυρήν τε ἐοῦσαν καὶ ὀλιγοχρόνιον, πολλῇσί τε κηρσὶ συμπεφυρμένην καὶ ἀμηχανίῃσι· ὅκως ἂν πρὸς μετρίης τε κτήσιος ἐπιμελῆται, καὶ μετρῆται ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις ἡ ταλαιπωρίη.[3]) — Διζημένοισι γὰρ τ' ἀγαθὰ μόλις παραγίγνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισιν.[4]) Proponebat idcirco lugentibus vitam calamitatum plenam, quibus ne quis succumberet, omnibus viribus studere debebat, atque ideo mortem non esse lugendam, quippe quae hisce miseriis nos liberet. Mors enim ex eius sententia non corpus tantum, sed etiam animum exstinguit; nam cum animus ex atomis compositus sit, atomi autem resolvi possint, ita quoque animus exstinguatur prorsus est necesse.[5]) Ridebat igitur

---

1) Stob. Ibid. tit. 108, 67. Cff. de hac eius doctrina Brucker *Hist. crit. phil.* Edit. II. T. I. pag. 1198. Meiners *Gesch. der Wissensch. in Gr. und Rom.* Vol. I. pag. 728. Lafaist *Diss. sur la phil. atomistique.* Par. 1833 p. 102.

2) Stob. *Flor.* tit. 108, 64. Cf. Stob. *Ecl. Eth.* II. 9, 5.

3) Ibid. tit. 98, 65.

4) Ibid. tit. 98, 58.

5) Cic. *Tusc. Q.* I. 11. Cff. Fr. Heimsoeth *Democriti de anima doctrina*, Bonn. 1835, p. 3 sqq. Lafaist l. l. p. 88.

eos, qui metu mortis angebantur, infelices se post mortem futuros, eamque summum malum ducentes. *Ἔνιοι*, ait, *θνητῆς φύσεως διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσει δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχαῖς καὶ φόβοις ταλαιπωροῦσι, ψεύδεα περὶ τοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου.* [1]) Adhortabatur etiam eos, qui de senectutis miseriis querebantur, iisque hoc solatium praebebat, quod etiamsi vigorem ac pulchritudinem desiderarent, quae juventutis essent propria, tamen seni adesset prudentia, qua et suis rebus melius prospicere et aliis consilio ac dignitate opitulari posset. Senectutem praeterea frui memoria rerum gestarum et perceptae voluptatis, ideoque juventuti praeferendam esse, quum incertum sit, num juvenis ad magnam perventurus sit aetatem. *Ὁ γέρων νέος ἐγένετο· ὁ δὲ νέος, ἄδηλον, εἰ ἐς γῆρας ἀφίξεται· τὸ τέλειον οὖν ἀγαθὸν τοῦ μέλλοντος, εἰ καὶ ἀδήλου, κρέσσον.* [2]) Praecepisse etiam de exsilio quaedam videtur, quum praeclara haec ejus sententia ab antiquis memoretur: *ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή· ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.* [3]) Sunt exigua haec, quae Democritum de consolatione monuisse ex eius fragmentis efficere licet; num vero idem haec philosophicis disputationibus magis

---

1) Stob. *Flor.* tit. 120, 20. Eadem fere haec sententia occurrit etiam tit. 98, 61. Cf. tit. 4, 75 et 81.

2) Ibid. tit. 115, 19 et 21. His contraria quaedam eiusdem philosophi leguntur tit. 116, 41 et 45, ubi senectutis mala refert. Fortasse hisce usus est ad consolandos eos, qui liberos puerili aetate morte amiserunt, ut doceret, infelices eos non esse praedicandos, quod senectutis miserias aufugissent.

3) Ibid. tit. 40, 7. De paupertate quoque monuisse videtur, ut apparet ex fragmentis, quae servavit Stobaeus tit. 43, 42, tit. 108, 70.

explicuerit, an in *κέρατι ἀμαλθείας* brevia tantum praecepta dederit, affirmari nequit; postremum tamen magis est veri consentaneum, quum fere omnia Democriti, quotquot exstant, fragmenta, sententiosa sint dicta atque ipse operis titulus id indicare videatur.

Subjiciamus huic *Hipparchum* Pythagoreum, non propterea quod aetate proximus sit Democrito, floruit enim tempore Lysidis et Epaminondae, sed quod ille quoque de animi tranquillitate conscripserit librum, qui tamen temporis injuria nostram non vidit aetatem. Quominus vero totum desideraremus opus, fecit studium Stobaei, qui satis amplum eius nobis servavit fragmentum, quod in loco consolatorio maxime versatur. [1]) Attamen ut de ceteris Pythagoreorum reliquiis, ita quoque de Hipparchi fragmento apud Stobaeum, num genuinum esset, dubitarunt viri docti, quum in iis nonnulla invenirent, quae cum doctrina Pythagorae haud congruerent. [2]) Quod etsi de ceteris verum sit, de Hipparcho tamen plane affirmari nequit, quem e schola Pythagorae ejectum fuisse legimus, quia placita magistri scripto mandaverat et communicaverat cum hominibus non rite initiatis. [3]) Facile igitur ille deinde vel Peripateticae vel alii philosophorum sectae operam navare, atque ita talia in scriptis proferre potuit, quae ceteroquin cum Pythagorae placitis minus

1) Stob. *Flor.* tit. 108, 81. Ed. Gaisf.

2) Vidd. Brucker *Hist. crit. phil.* I. p. 1102. Meiners *Gesch. der Wiss.* I. p. 601. Ritter *Gesch. der Pyth. Phil.* p. 63 sqq. et *Gesch. der Phil.* Vol. I. p. 359 sq.

3) Jambl. *de vit. Pyth.* 75 narrat eum a Lyside hac de re fuisse reprehensum, ac deinde e schola ejectum, a Pythagoreis tanquam mortuum fuisse habitum ipsique monumentum fuisse exstructum, quam Pythagoreorum consuetudinem pluribus refert idem 74. Cf. Clem. Alex. l. V. Strom. p. 575.

convenirent. Neque multum huc facit argumentatio Meinersii, qui fragmentum illud spurium demonstravit ejusque auctorem Pythagoreum negavit, argumento inde petito, quod ille animum humanum mortalem statuerit. Quod probaturus, conjecturam invocavit Galii, qua locum Hipparchi prorsus mutilum ita sanavit, ut sex verba ex suo ingenio in textum reciperet, non animadvertens conjecturae tantum tribui non posse, ut inde sententia philosophi stabiliatur.[1] Itaque nisi quis meliora docuerit, cum Wyttenbachio, Tiedemanno[2] aliis genuinum illud fragmentum statuemus indeque ad nostrum locum proficiemus.

Agit autem Hipparchus in fragmento illo de tranquillitate animi, quam nobis comparari posse docet, si brevissimam esse vitam cum aeternitate comparatam, eandemque multis calamitatibus repletam consideraverimus. Adesse enim complura corporis mala, morbos omnis generis et infinito paene numero, animum porro cupiditatibus distrahi, quae ad impia ac scelesta perpetranda

---

1) Meiners l. l. p. 602 not. Locus Hipparchi apud Stobaeum sic sese habet: *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πολλὰ παρασκευαζόμενοι, ὡς οὐκ ἔστι ζῆν μετὰ τὸν τᾶς ζωᾶς χρόνον, ἄξεστι γενέσθαι, χρησόμεθα παρουσίᾳ τῶν ἀγαθῶν κ. τ. λ.* Galius autem in *Opusc. Myth.* p. 673 ita legendum conjecit: *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πολλὰ παρασκευαζόμενοι, ὡς οὐκ ἔστι ζῆν μετὰ τὸν τᾶς ζωᾶς χρόνον οὐκ ἀναλογίζονται, ἐπεὶ ὧν τοῦτο οὐκ ἔξεστι γενέσθαι, χρησόμεθα κ. τ. λ.* unde pateret auctorem fragmenti animum humanum habuisse mortalem. Sed pari jure, pro *οὐκ ἀναλογίζονται,* quod conjecturâ in textum recepit Galius, deleto vocabulo *οὐκ*, legere possis *ἀναλογίζονται*, indeque efficere, Hipparchum animi immortalitatem docuisse.

2) Wyttenb. in rec. operis Meinersii *Bibl. Crit.* P. VIII. p. 119 not. Cf. Idem ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 698. Tiedemann *Griechenlands erste Phil.* p. 206 sqq.

incitent hominem, his denique accedere multa alia mala, quae extrinsecus homini accidant, fames, pestes, quae saepius integras devastent civitates. Malis autem hisce, ex ejus sententia, sponte se liberabit, quicumque rebus jucundis non nimis indulserit, quippe quae citius evanescant, quam oriantur, quaeque efficiant, ut amissas deinde eo magis lugeamus. *Πάντα γὰρ ταῦτα, ἄστατά τε καὶ ἀβέβαια Εὐρίπου τρόπον, ἐν πόλλαις καὶ ποικίλαις μεταβολαῖς γινόμενα παρειλήφαμεν· καὶ οὐδὲν αὐτῶν μένον, οὐδὲ ἀκίνητον, οὐδὲ βέβαιον, οὐδὲ ἀδιαίρετον.* Omnia idcirco non majori, sed suo pretio habenda sunt, quod si quis neglexerit, miserrime deget reliquam vitam. Accidere autem illud iis, qui liberorum, pecuniae, amicorumve amissionem plorent, qui se solos miseros praedicent, non reputantes, et antea et nunc sexcentos alios iisdem afflictos esse calamitatibus, et talem semper fuisse semperque fore vitae humanae conditionem. Solatio praeterea esse, si reputamus saepius ea, quae mala videantur, prodesse hominibus, multos enim e. g. propter amissam pecuniam a tyranni praedonumve injuriis esse liberatos. *Οὐδὲ γὰρ θέμις ἄνθρωπον μὲν ὄντα τὰ τῶν ἀλλοτρίων συμπτώματα εὔφορα νομίζειν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἴδια κάδεα, ἰδόντα ὅτι πολλαὶ κᾶρες κατὰ πάντα τὸν βίον πεφύκαντι.* Quiete igitur vivemus, si plorando nihil nos proficere, sed potius animum in pejora ducere memores, duce philosophia, mala, utpote humana, *ἀνθρωπίνως* tulerimus, nostramque vitam comparaverimus cum eorum sorte, qui nobis etiam infeliciores sunt.

Huc redit Hipparchi sententia apud Stobaeum. Nihil praeterea de eius opere exstat. Conjicere tamen licet in hoc libro eum quoque viros ad imitandum proposuisse, qui magna *εὐθυμίᾳ* vitam et egissent et finivissent. Re-

carnassensi aliquo modo satisfactum est, cuius *μέθοδος ἐπιταφίων* hodieque exstat. Ipse Cicero etiam, data opera, hunc locum tractavit deque eo egregie meruit in Quaestionibus Tusculanis, quae, ut summo quidem Wyttenbachio videtur, [1]) plane ad rationem *τόπου παραμυθητικοῦ*, a Posidonio designati, descriptae sunt.

Apparet jam quodammodo ex hisce paucis, quae attulimus, quo loco ab antiquis habita sit consolatio. Quo magis est mirandum ex recentioribus neminem adhuc, quoad sciam, de industria hunc philosophiae locum tractasse, neque quae antiquorum in ea fuerint merita, exposuisse. [2]) Novimus enim, quae sit religionis Christianae

---

1) Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699. In tertio autem et quarto Tusculanarum libro in primis Chrysippum secutus esse Cicero videtur Cl. Bakio *Disp. de Posidonio* p. 196, cui assentitur Baguet *Comm. de Chrysippo* p. 299. Goerensius vero ad Cic. Acad. II. 44, Ciceronem dicit in lib. III. Tusc. Crantoris librum *περὶ πένθους* paene totum suum fecisse, quae verba, etsi cum illa sententia pugnare videantur, optime tamen cum illa conciliari possunt. Cicero enim scribendo illo opere respexit ubivis aureum illum Crantoris libellum, quem laudibus saepius extulit, cuiusque plures sententias ac consolandi argumenta in libro illo servavit. Conjunxit tamen cum huius placitis Stoicorum de perturbationibus animi doctrinam, ut aegritudinem in sapientem cadere non posse ostenderet, atque ita refellere studuit Crantoris sententiam, qui naturales esse docuerat affectiones animi, magisque Chrysippum et Stoicos secutus, non natura sed opinione constare aegritudinem eandemque voluntarie suscipi uberius explicuit.

2) Fuerunt quidem, qui de consolationibus antiquorum quaedam monerent, non vero qui totum illum explicarent locum. In his censendus est Petrus la Seine, qui in commentatione *de Nepenthe Homeri* (Gronov. *Thes. Ant. Gr.* vol. XI.) cap. 3 de consolatione agens, magis musicae quam philosophiae vim ad sedandos dolores spectavit. Hier. Cardanus *de Consolatione libri III.* nonnulla quidem antiquorum loca attulit, sed magis, ut suam confirmaret sententiam, quam ut illorum in hoc loco merita indagaret. Magis id attendit J. C. G. Ernesti *auscr-*

in leniendo dolore et consolandis miseris praestantia, atque ita accuratiore investigatione dignissima quaestio est, quo, duce philosophia, in eadem re pervenerint antiqui. Haec enim apud eos lex fere atque ars vitae erat, haec sola medicina animi habebatur, haec puriorem docendi religionem partes sibi vindicabat. 1) Itaque nobis, disputandi argumentum quaerentibus, in primis hic philosophiae locus arrisit, ut quibus consolandi rationibus usi fuerint antiqui philosophi Graeci, quantumque iisdem tribuendum sit, data opera ex viribus exploraremus. Dolemus

---

lesene Briefe Cicero's, qui in notis nonnihil monuit de consolandi argumentis, quibus in epistolis suis usus est Cicero, quamquam ille hunc tantum scriptorem, non vero Graecos philosophos respexit. Meinersius autem in diss. *Betracht. über d. Tod u. Trostgr. der Alten wider die Schrecken desselben* (*Verm. Phil. Schr.* Vol. II.) p. 166 sqq. ut et Sartorius *Over de troostgr. der ouden bij den dood hunner kinderen* (*Mag. voor wetensch. etc.* door v. Kampen Vol. I. P. II.) nonnulla tantum eorum scripta, ut Aeschinis, Plutarchi, Senecae attenderunt, neglexerunt vero ceteros. Neque id fecerunt Fest in opere *Beytr. zur Beruhigung über diejenigen Dinge, die dem Menschen unangenehm sind.* Leipz. 1789, 5 Voll., neque ceteri, qui in hoc opere laudantur, Weitenkampf, Weishaupt, qui omnes magis religionis Christianae quam veterum philosophorum consolandi argumenta attenderunt. Idem dicendum de disp. Reinhardi *de praestantia religionis Christ. in consolandis miseris* (*Opusc. Acad.* Vol. II.) p. 289 sqq., licet tamen ille multis locis antiquorum scripta adhibuerit. Multum vero me in hoc loco tractando adjuverunt tum Ruhkopf *Prolegg. ad Sen. Cons. ad Helv.* Vol. I. p. 156 sq., tum vero in primis Wyttenbachius *Prolegg. in annot. ad Plut. Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 697 sqq. qui catalogum dederunt scriptorum veterum, qui consolatoria scripserunt opera, licet tamen nonnullos praetermiserint, ut Metrodorum, Panaetium, Posidonium, ut et scriptores de exsilio et senectute.

1) Cic. *de Finn.* II. 5. Cf. dilectissimi patris *Init. phil. Plat.* Vol. I. p. 61, 66.

atque simul defunctorum cognatos alloqui iisque medicinam afferre studuit. Neque tragicis deinde haec opportunitas defuit; cum enim hoc tragoediis esset proprium, ut heroes aliique in scena proponerentur summis calamitatibus afflicti, rei naturae nihil magis videbatur consentaneum, quam ut simul prudentes peritique viri inducerentur, qui illos bono esse animo neque infortuniis prorsus devinci admonerent. Hinc tot apud tragicos inveniuntur consolandi argumenta, quibus egregie postea usi sunt philosophi, quorumque magnam partem collegit Stobaeus. [1] Quod vero illi passim in scriptis fecerant, hoc data opera egit Antimachus, qui in elegia, *Lyde* inscripta, se ipse in obitu uxoris Lydae consolatus esse dicitur, *ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωικὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην.* [2])

Mox autem in muneris societatem accesserunt prosae orationis scriptores, oratores, philosophi. Quorum quidem illi egregiam consolandi opportunitatem habuerunt orationibus dicendis, vulgo *ἐπιταφίοις* vocatis, in quibus defunctos laudare, res gestas eorum et memoriam celebrare, simulque cognatis et amicis et vero etiam

---

1) Stob. Flor. t. 124 Ed. Gaisf. cuius inscriptio est *παρηγορικά,* ubi eadem fere consolandi argumenta, quae deinde uberius explicuerunt philosophi, a poetis jam adhibita invenies. Ceterum in choris etiam tragicis consolationi locus erat, quum enim illi maxime hymnis, threnis et praeceptis de rite instituenda vita constarent, in threnis maxime poetae opportunitatem habuerunt, deplorandi res humanas, simulque medicinam afferendi iis, qui in malis versabantur. Qua de re vid. Heeren *de chori Gr. trag. natura et indole* Gott. 1784, p. 15, 32 et 42.

2) Vid. Plutarchus *Cons. ad Apoll.* p. 106 C. Eius reliquias collegerunt Schellenberg *Antimachi Colophonii reliquiae* 1786, et Blomfield *Diatr. de Antimacho poeta et grammatico Colophonio* 1813.

civitati adimere, quoad fieri posset, tristitiam eosque ad animi aequabilitatem reducere studebant. [1]). Consolationem autem praecipuum earum propositum fuisse inde quoque patet, quod sermonis consuetudine *λόγοι παραμυθητικοὶ* vocantur, ut notat Pollux: *Λόγοι δ' ἐρεῖς παραμυθητικοὶ, παρηγορικοὶ, παρηγορητικοὶ, νουθετικοὶ, σωφρονιστικοὶ καὶ τὰ ὅμοια· ἐρεῖς δὲ καὶ λόγοι ἐπιτάφιοι, ἐπικήδειοι, ἐλεγεῖα, ἐπιγράμματα.* [2]) Sponte autem hic unicuique ob mentem versatur praeclara illa Periclis apud Thucydidem funebris oratio, non tam oratoria facultate, qua cives pro patria mortuos laudat, quam arte, qua populum Atheniensem et defunctorum parentes, liberos et fratres aequo esse animo adhortatur, una in paucis insignis. [3]) Ejusdem generis est cum oratio apud Platonem in Menexeno et Isocratis oratio in Evagoram, tum Aristidis oratio XI. *εἰς Ἐτεώνεα ἐπικήδειος*, et XII. *ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ ἐπιτάφιος*, tum quae feruntur nominibus Lysiae et Demosthenis; illius quidem *ἐπιτάφιος τοῖς τῶν Κορινθίων βοηθοῖς*, huius vero oratio, qua ex solenni more Athenienses

---

1) Hunc morem laudandi defunctos milites Athenienses ab Aegyptiis mutuasse auctor est Diog. Laert., monente interprete ad Demosth. *ἐπιτάφιον λόγον* init., qui tamen Laertii locum non indicavit. Solis vero Atheniensibus hunc morem proprium fuisse judicavit Demosth. *adv. Lept.* p. 499 B. Cf. de funebribus orationibus Stallbaum *Prolegg. ad Plat. Menexenum.*

2) Pollux III. 100. Praeclare de funebri oratione Plato in Menexeno p. 236 E. *δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσεται, ἐκγόνοις μὲν καὶ ἀδελφοῖς μιμεῖσθαι τὴν τῶνδε ἀρετὴν παρακελευόμενος, πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινες τῶν ἄνωθεν ἔτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος.*

3) Thucyd. II. 35.

in acie defunctos laudavit. Huiusmodi orationes scripsisse dicuntur Gorgias, Archinus [1]) Theopompus, [2]) Hyperides, [3]) Naucrates, [4]) alii, quae tamen temporis injuria ad unam omnes perierunt. Fuerunt etiam alii et rhetores et oratores, qui ex industria de hoc loco egerunt, sive ut alios de necessariorum morte aliisve calamitatibus consolarentur, sive ut universe de consolandi officio quaedam praeciperent. Scilicet egregia haec videbatur explicandi oratoriam facultatem opportunitas, ut de rerum humanarum vicissitudinibus fortunaeque inconstantia agerent. Quod maxime fecit Prodicus, si fides habenda est Aeschini, qui in Axiocho Socratem huius sophistae sermonem de vitae miseriis referentem inducit. [5]) In his praeterea memorandi sunt cum Antiphon, qui Corinthi in taberna prope forum publice professus τέχνην ἀλυπίας, et librum hoc nomine scripsisse dicitur, atque auditoribus promisisse sermones νηπενθεῖς, ὡς οὐδὲν οὕτω δεινὸν ἐρούντων ἄχος, ὃ μὴ ἐξέλοι τῆς γνώμης: [6]) tum Alcidamas, qui, teste

1) Funebrem eius orationem laudat Plato *Menex.* p. 403. A. Cf. de eo Ruhnkenius *Hist. crit. orat. Gr.* in Opusc. Vol. I, p. 316.

2) Huius oratio laudatur in funere Mausoli regis Cariae, de qua vid. Pflugk *de Theopompi Chii vita et scr.* p. 22. Cf. Wichers *Theopompi Chii fragm.* p. 11 sqq.

3) Hic in primis dicendis orationibus funebribus laudatur a Longino *de Sublim.* Sect. 34. Cf. Toupii ad h. l. annotatio p. 212. Fragmentum legitur apud Stob. Flor. t. 124, 36 Ed. Gaisf.

4) Vid. Dion. Halyc. in *Arte Rhet.* c. 6 cui titulus est μέθοδος ἐπιταφίων, ubi hunc et ceteros modo laudatos egregia in hoc genere exempla dedisse affirmat. Cf. Meursius *Lectt. Att.* l. IV. c. 4 et Ruhnkenius Op. l. p. 367.

5) Aesch. *Axiochus* c. 7. Cff. Cl. Geel *Hist. crit. Soph.* in *Act. Soc. Traj.* P. II. p. 130 et 135 sqq. Welcker *Prodikus vom Keos* p. 608. sqq.

6) Vidd. Plut. *Vit. X. Oratt.* p. 833 C. Philostratus *Vit. Soph.* I.

Cicerone, rhetor antiquus in primis nobilis, *laudationem mortis* scripsit, quae constabat enumeratione humanorum malorum.[1]) Huc item referendae sunt Dionis Chrysostomi orationes sextadecima περὶ λυπῆς et tricesima Χαρίδημος inscripta, de quo idem pronunciare licet, quod de Alcidamante Cicero, huic rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit.[2])

Quas autem ad moerentium animos erigendos rationes adhibuerant poetae, et magna dicendi vi ornabant oratores, easdem philosophi sedulo colligere, justo ordine disponere, variis disputationibus novisque argumentis confirmare studuerunt. Conveniebat enim hoc consolandi munus plane cum studiis philosophiae. Cum enim haec esset philosophiae moralis propria natura, ut inquireret in res humanas, hominisque indolem, cupiditates atque ingenii animique facultates explorare studeret, non potuit non de luctu quoque agere, et qualis vera esset ipsius natura, indagare. Ipsae adeo, quibus in consolando utebantur, rationes pleraeque ad philosophiam pertinebant: sic v. c. locus de animi post mortem conditione, quod

---

15, 3. Alium hunc Antiphontem esse ac Sophili filium putat Fabricius *Bibl. Gr.* I. p. 835, Rhamnusium vero illorum sermonum auctorem habet Lud. Cresolius in *Theatro veterum Rhet.* in *Thes. Ant. Gr.* Vol. X. p. 35. Cf. Meursius in *Bibl. Att.* in *Thes. Ant. Gr.* vol. X. p. 1422. Mirum est Rhunkenium in *Disp. de Antiphonte* nullam mentionem de eius τέχνῃ ἀλυπίας fecisse. Fragmenta autem, quae Antiphontis nomine Stobaeus Flor. tit. 6, 7, tit. 98, 56 et 63 Ed. Gaisf. affert, ex eius libro laudato desumta videntur.

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 48, quae autem ibi sequuntur, ex Alcidamantis libro desumta esse putant interpp. ad h. l. De Alcidamante scripsit Spengel in eius συναγωγῇ τέχνων. Stutg. 1828.

2) Cic. *Tusc. Q.* l. l.

gravissimum est consolandi argumentum, totus e philosophiae ditione erat desumtus. Sic autem factum, ut deinde consolatio suum in philosophia, ex Posidonii distributione, locum haberet. Cum enim Stoici dividerent ethicam *εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς, καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον, καὶ εἰς τὸν περὶ παθῶν καὶ περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ τέλους, περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων, καὶ περὶ τῶν καθηκόντων, προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν,* 1) Posidonius non tantum praeceptionem sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam judicavit, 2) quae ex ejus sententia subdivisio fuisse videtur loci *τῶν προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν.* Idem placuisse Eudoro Academico memoratur, 3) qui ethicam in tres partes, *τὸ μὲν περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας, τὸ δὲ περὶ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ περὶ τὴν πρᾶξιν,* ac postremam hanc partem sic divisit: *τοῦ δὲ περὶ τῆς πράξεως λόγου, ὁ μέν ἐστι περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις, ὁ δὲ περὶ τῶν ἀλλοτριούντων ἀπὸ τινῶν πράξεων· — καὶ ὁ μὲν περὶ τῶν οἰκειούντων πρός τινας πράξεις διαιρεῖται εἴς τε τὸν ὑποθετικὸν καὶ τὸν προτρεπτικόν. — ὁ δὲ περὶ τῶν ἀποτρεπόντων καλεῖται παραμυθητικὸς, ὅς καλούμενός ἐστι πρὸς ἐνίων παθολογικός.*

---

1) Diog. Laert. VII. 84. quem locum affert Cl. Bakius *Disp. de Posidonio* p. 186.

2) Verba sunt Senecae *Epist.* 95.

3) Vid. Stobaeus *Eclog. Ethic.* p. 161, 162 Cf. Heerenus ad h. l. Vol. II. p. 47 ubi dicit: *Eudorus ille quis et quo tempore vixerit, incertum est; nil constat, nisi quod Simplicius in categ. Aristotelis passim Eudorum Academicum commemorat, qui in Aristotelis categorias commentatus fuerat. Scripsit, ut ex Stobaeo apparet, διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου et quidem προβληματικῶς i. e. ut quaestiones, quas de singulis locis movissent philosophi, excuteret.*

Num vero ceteri quoque philosophi consolationi separatum in philosophia morali tribuerint locum, prae scriptorum hac de re silentio incertum est, [1]) sed hoc est verissimum, quam plurimos ei suum et laborem et operam impendisse, ut adeo paulatim in consolatorio loco tot exsisterent capita et scholae, quot haberentur calamitatum genera. Qua de re audiamus Ciceronem, ubi de consolantis officio disserit: „Sunt enim, ait, certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant: separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis: haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt: opus enim quaerunt: quamquam plenae disputationes delectationis sunt. Et tamen, ut medici toto corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur, sic philosophia cum universam aegritudinem sustulit, tamen si quis error aliunde exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exsilium, aut eorum, quae modo dixi, si quid exstitit, singularum sunt propriae consolationes." [2]) Neque tantum philosophi in singulis vitae infortuniis consolationes scripserunt, sed fuerunt adeo, qui latius hunc locum explicarent, cumque Ciceronem querentem audimus, nullum adhuc rhetorem ex industria de hoc loco praecepisse, [3]) huic desiderio a Dionysio Haly-

1) Idem quoque placuisse Chrysippo verosimile est, qui tres conscripsit libros περὶ παθῶν, iisque quartum addidit θεραπευτικὸν ἢ ἠθικὸν inscriptum, in quo de auferendo dolore deque consolatione praecepit, qua de re pluribus infra.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 34.

3) Cic. *de Orat.* II. 15.

carnassensi aliquo modo satisfactum est, cuius μέθοδος ἐπιταφίων hodieque exstat. Ipse Cicero etiam, data opera, hunc locum tractavit deque eo egregie meruit in Quaestionibus Tusculanis, quae, ut summo quidem Wyttenbachio videtur, [1]) plane ad rationem τόπου παραμυθητικοῦ, a Posidonio designati, descriptae sunt.

Apparet jam quodammodo ex hisce paucis, quae attulimus, quo loco ab antiquis habita sit consolatio. Quo magis est mirandum ex recentioribus neminem adhuc, quoad sciam, de industria hunc philosophiae locum tractasse, neque quae antiquorum in ea fuerint merita, exposuisse. [2]) Novimus enim, quae sit religionis Christianae

1) Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699. In tertio autem et quarto Tusculanarum libro in primis Chrysippum secutus esse Cicero videtur Cl. Bakio *Disp. de Posidonio* p. 196, cui assentitur Baguet *Comm. de Chrysippo* p. 299. Goerensius vero ad Cic. Acad. II. 44, Ciceronem dicit in lib. III. Tusc. Crantoris librum περὶ πένθους paene totum suum fecisse, quae verba, etsi cum illa sententia pugnare videantur, optime tamen cum illa conciliari possunt. Cicero enim scribendo illo opere respexit ubivis aureum illum Crantoris libellum, quem laudibus saepius extulit, cuiusque plures sententias ac consolandi argumenta in libro illo servavit. Conjunxit tamen cum huius placitis Stoicorum de perturbationibus animi doctrinam, ut aegritudinem in sapientem cadere non posse ostenderet, atque ita refellere studuit Crantoris sententiam, qui naturales esse docuerat affectiones animi, magisque Chrysippum et Stoicos secutus, non natura sed opinione constare aegritudinem eandemque voluntarie suscipi uberius explicuit.

2) Fuerunt quidem, qui de consolationibus antiquorum quaedam monerent, non vero qui totum illum explicarent locum. In his censendus est Petrus la Seine, qui in commentatione *de Nepenthe Homeri* (Gronov. *Thes. Ant. Gr.* vol. XI.) cap. 3 de consolatione agens, magis musicae quam philosophiae vim ad sedandos dolores spectavit. Hier. Cardanus *de Consolatione libri III.* nonnulla quidem antiquorum loca attulit, sed magis, ut suam confirmaret sententiam, quam ut illorum in hoc loco merita indagaret. Magis id attendit J. C. G. Ernesti *ueser-*

in leniendo dolore et consolandis miseris praestantia, atque ita accuratiore investigatione dignissima quaestio est, quo, duce philosophia, in eadem re pervenerint antiqui. Haec enim apud eos lex fere atque ars vitae erat, haec sola medicina animi habebatur, haec puriorem docendi religionem partes sibi vindicabat. 1) Itaque nobis, disputandi argumentum quaerentibus, in primis hic philosophiae locus arrisit, ut quibus consolandi rationibus usi fuerint antiqui philosophi Graeci, quantumque iisdem tribuendum sit, data opera ex viribus exploraremus. Dolemus

---

lesene Briefe Cicero's, qui in notis nonnihil monuit de consolandi argumentis, quibus in epistolis suis usus est Cicero, quamquam ille hunc tantum scriptorem, non vero Graecos philosophos respexit. Meinersius autem in diss. *Betracht. über d. Tod u. Trostgr. der Alten wider die Schrecken desselben* (*Verm. Phil. Schr.* Vol. II.) p. 166 sqq. ut et Sartorius *Over de troostgr. der ouden bij den dood hunner kinderen* (*Mag. voor wetensch. etc.* door v. Kampen Vol. I. P. II.) nonnulla tantum eorum scripta, ut Aeschinis, Plutarchi, Senecae attenderunt, neglexerunt vero ceteros. Neque id fecerunt Fest in opere *Beytr. zur Beruhigung über diejenigen Dinge, die dem Menschen unangenehm sind.* Leipz. 1789, 5 Voll., neque ceteri, qui in hoc opere laudantur, Weitenkampf, Weishaupt, qui omnes magis religionis Christianae quam veterum philosophorum consolandi argumenta attenderunt. Idem dicendum de disp. Reinhardi *de praestantia religionis Christ. in consolandis miseris* (*Opusc. Acad.* Vol. II.) p. 289 sqq., licet tamen ille multis locis antiquorum scripta adhibuerit. Multum vero me in hoc loco tractando adjuverunt tum Ruhkopf *Prolegg. ad Sen. Cons. ad Helv.* Vol. I. p. 156 sq., tum vero in primis Wyttenbachius *Prolegg. in annot. ad Plut. Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 697 sqq. qui catalogum dederunt scriptorum veterum, qui consolatoria scripserunt opera, licet tamen nonnullos praetermiserint, ut Metrodorum, Panaetium, Posidonium, ut et scriptores de exsilio et senectute.

1) Cic. *de Finn.* II. 5. Cf. dilectissimi patris *Init. phil. Plat.* Vol. I. p. 61, 66.

profecto, quod ex scriptis consolatoriis, quae magno fuisse numero constat, nonnisi paucissima commune antiquorum librorum naufragium evaserint; sed habemus, quo nos ipsi consolemur, quum ex iis, quae ad nos pervenerunt, aliquo modo ceterorum rationem efficere possimus. Id igitur nobis in primis agendum videtur, ut opera deperdita cum ex eorum fragmentis tum ex eorum placitis, quae ab aliis memoriae sunt prodita, quoad ejus fieri possit, restituamus, quo melius inde singulorum philosophorum in consolando ratio appareat.

PARS PRIOR

DE GRAECORUM PHILOSOPHORUM SCRIPTIS ET ARGUMENTIS CONSOLATORIIS.

Caput I.

DE PHILOSOPHIS, CONSOLATIONUM, QUAE AD MORTEM PERTINENT, SCRIPTORIBUS.

Τὶ δὲ τις; τὶ δὲ οὔτις;
Σκίας ὄναρ ἄνθρωπος.
PINDARUS.

§ 1.

Democritus, *Hipparchus*.

Ex philosophis Graecis, quos consolatoria condidisse opera novimus, aetate primus est Democritus Abderites, nobilis ille Leucippi discipulus. Cuius quidem philosophiam attendentibus, mirum nobis minime videri potest, eum huic potissimum philosophiae loco operam suam impendisse. Nam quum negaret immortalitatem animi, Deosque, ut Wyttenbachii sententiam sequar, [1]) verbis quidem relinqueret, re ipsa vero tolleret, fieri ita non po-

---

1) Wyttenb. *Opusc.* vol. II p. 547.

tuit, quin summam felicitatem homini in hac tantum vita assequendam esse ideoque calamitatum acerbitatem, quoad fieri posset, esse minuendam putaret. Hinc summum bonum in *εὐθυμίᾳ* positum esse censebat, quam ita definiebat *καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους,* 1) immo de ea data opera egit in opere, quod titulo *κέρας ἀμαλθείας* eum conscripsisse auctor est Diogenes Laertius. Accuratius igitur de hoc opere agamus, ut quid ille de nostro loco monuerit, habeamus perspectum.

Verba Laertii, ubi de hoc Democriti libro loquitur, valde corrupta, ita conjecturâ emendavit Fabricius: *ἀμαλθείας κέρας ἢ περὶ εὐθυμίης ὑπομνημάτων ἠθικῶν ἡ. Ἡ γὰρ εὐεστὼ οὐχ εὑρίσκεται.* 2) Hoc igitur summi viri de hoc opere est judicium, constitisse illud novem libris, ac singulos libros singulis titulis inscriptos fuisse, ex variis appellationibus, quibus summum bonum designabat, desumtis, ut v. c. unus inscriberetur *ἀταραξίη*, alius *ἀθαμβίη*, alius *ἀθαυμαστίη*, alius denique *περὶ τέλους*, qui a Clemente Alex. laudatur. 3) Horum autem

---

1) Diog. Laert. IX. 45.

2) Sic apud Diog. Laert. IX. 46, Democriti scripta ethica enumerantem, legebatur: *Ἀμαλθείας κέρας. Περὶ εὐθυμίης. Ὑπομνημάτων ἢ οἴκων. Ἡ γὰρ εὐεστὼ οὐχ εὑρίσκεται.* Primus hunc locum emendandi signum sustulit Stephanus Monachius conjiciendo pro *ἢ οἴκων, ἠθικῶν.* Vid. Menagius ad h. l.

3) Clem. Alex. 2 Strom. p. 417. Fabric. *Bibl. Gr.* I. p. 764. Minus vero placet, virum cel. inter hosce titulos etiam *κέρας ἀμαλθείας* et *περὶ εὐθυμίης* fuisse opinari, qui generalis totius operis titulus fuisse videtur. Initium autem libri servavit Stobaeus Flor. tit. 103, 25 Ed. Gaisf., quod in Latinum sermonem vertit Seneca *de tranq.*

librorum, ex eiusdem sententia, unus fuit inscriptus εὐεστὼ sive bonum stabile, qui Thrasylli aetate, e quo hunc Democriti librorum catalogum desumsit Laertius, jam perierat. Quae conjectura inde etiam auctoritatem accipit, quod, teste Laertio, Democritus εὐθυμίην sive animi tranquillitatem finem et summum bonum habuerit eamque variis appellaverit nominibus. 1) Quae quum ita sint, haud absurdum videtur statuere, Democritum in eodem opere, ut ad veram quis perveniret felicitatem, praecepta quaedam dedisse, quibus legentium animos contra vitae calamitates confirmare et luctus acerbitate liberare studuerit. Dicere enim solebat: *ἰατρικὴ μὲν σώματος νούσους ἀκέεται, σοφία δὲ ψυχὴν παθῶν ἀφαιρέεται.* 2) *Ἡ παιδεία εὐτυχοῦσι μέν ἐστι κόσμος, ἀτυχοῦσι δὲ καταφύγιον·* et haec erat ipsius de vitae calamitatibus sententia, ex iisdem rebus et bona et mala oriri, quod pulchra imagine adumbravit: *ἀφ' ὧν*, ait, *ἡμῖν τἀγαθὰ γίγνεται, ἀπὸ τῶν αὐτῶν τούτων καὶ τὰ κακὰ ἐπαυρίσκοί-*

---

animi c. 12. Memorat quoque et reprehendit illam sententiam Plut. *περὶ εὐθυμίας* p. 465. C.

1) Diog. Laert. IX. 45 Stob. *Ecl. Eth.* l. II, c. 7. Cf. Heeren *Comment. de font. Eclog. Stobaei* in edit. sua P. II. T. II, p. 193, qui Democriti librum ὑποθῆκαι inscriptum eundem fuisse ac κέρας ἀμαλθείας putat. — Fabricii sententiam non totam amplexus est Burchard *Fragm. der Moral des Demokritus*, p. 17, qui opus Democriti non variis libris constitisse arbitratur, quum voces ἀταραξίη, ἀθαμβίη, idem fere significantes quod εὐεστώ, titulos librorum, quibus aliae res tractarentur, indicare potuisse negat. Attamen, quum εὐθυμία late pateat, multaque requirantur, ut tranquillitatem animi quis sibi compararet, singulis libris singula praecepta, quae illuc referebantur, dedisse videtur, ut alio libro de sedando luctu, alio de moderanda laetitia, alio de fugiendo metu et sic deinceps ageret.

2) Clem. Alex. Paed. c. 2, p. 100.

μεθα· τῶν δὲ κακῶν ἐκτὸς εἴημεν. Αὐτίκα ὕδωρ βαθυ εἰς πόλλα χρήσιμον, καὶ δ'αὖτε κακὸν, κίνδυνος γὰρ ἀποπνιγῆναι. Μηχανὴ οὖν εὑρέθη, νήχεσθαι διδάσκειν. 1) Quibus verbis quid significaverit reapse patet: ut enim, ne aqua profunda suffocemur, ars natandi addiscenda est, sic quoque ut ne calamitatibus cruciemur, confirmandus est animus. Ἀνδρείη γὰρ τὰς ἄτας μικρὰ ἔρδει. 2) Effici autem id docebat, ubi reputemus mala vulgo ex bonis oriri, et utamur bonis, quae adsunt, ad arcenda mala: ἀνθρώπινα κακὰ ἐξ ἀγαθῶν φύεται, ἐπήν τις τ'ἀγαθὰ μὴ ἐπίστηται ποδηγετέειν, μηδὲ ὀχέειν εὐπόρως. Οὐδὲ δίκαιον ἐν κακοῖσι τὰ τοιάδε κρίνειν, ἀλλ' ἐν ἀγαθοῖσιν ἐντί. Τοῖς τε ἀγαθοῖσιν οἷόντε χρῆσθαι καὶ πρὸς τὰ κακὰ εἴ τινι βουλομένῳ ἂν ῇ. 3) — Εὐγνώμων ὁ μὴ λυπεόμενος ἐφ' οἷσιν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ χαίρων ἐφ' οἷσιν ἔχει. 4).

1) Stob. *Ecl. Eth.* l. II. c. 9, 1.

2) Stob. Flor. t. 7. 22. Ed. Gaisf.

3) Stob. *Ecl. Eth.* l. II. c. 9, 2. Prior huius sententiae pars legitur quoque in Flor. tit. 4, 53; posteriorem vero, plane corruptam, sic emendavit Heerenus, ut scriberet οἷόν τινα βαλλόμενον ἄλκῃ i. e. *ut in jaciendo seu telo emittendo robore.* Cf. Burchard l. l. p. 20.

4) Stob. Flor. t. 17, 26. Quapropter infelicium conditionem conspiciendam esse docuit, ut, comparatione instituta, nos feliciores praedicaremus: ἐπι τοῖς δυνατοῖς οὖν δεῖ ἔχειν τὴν γνώμην καὶ τοῖς παρεοῦσι ἀρκέεσθαι, τῶν μὲν ζηλουμένων καὶ θαυμαζομένων ὀλίγην μνήμην ἔχοντα, καὶ τῇ διανοίᾳ μὴ προσεδρεύοντα, τῶν δὲ ταλαιπωρεόντων τοὺς βίους θεωρέειν, ἐννοσύμενον ἃ πάσχουσι κάρτα, ὅκως ἂν τὰ παρέοντα σοι καὶ ὑπαρχόντα μεγάλα καὶ ζηλωτὰ φαίνηται καὶ μηκέτι πλειόνων ἐπιθυμέοντι συμβαίνῃ κακοπαθέειν τῇ ψυχῇ. — Διόπερ τὰ μὲν μὴ δίζεσθαι χρέων, ἐπὶ τοῖς δὲ εὐθυμέεσθαι χρέων, παραβάλλοντα τὸν ἑωυτοῦ βίον πρὸς τὸν τῶν φαυλότερον πρησσόντων, καὶ μακαρίζειν ἑωυτὸν, ἐνθυμεύμενον ἃ πάσχουσι, ὅκως αὐτέων βέλτιον πρήσσῃ τεκαὶ διάγῃ. Stob. Ibid. tit. I., 40.

Cum autem haec esset eius de εὐθυμίᾳ sententia, unice eam comparari, si neque laetitia neque tristitia nimia afficimur, omnem dolorem et luctum funditus tollendum censuit. Hinc illud eius dictum: λύπην ἀδέσποτον ψυχῆς ναρκώσης λογισμῷ ἔκκρουε, [1]) cumque omnia certa quadam necessitate fiant, sapientis esse non inani confici moerore, sed cedere ultro fortunae: ἀλογιστίη μὴ ξυγχωρέειν ταῖσι κατὰ βίον ἀναγκαῖς. [2]) Eos autem, qui vel ipsi metu mortis cruciabantur, vel necessariorum obitum lugebant, hisce verbis erigere ac consolari solebat: γιγνώσκειν χρέων ἀνθρωπίνην βιοτὴν ἀφαυρήν τε ἐοῦσαν καὶ ὀλιγοχρόνιον, πολλῇσί τε κηρσὶ συμπεφυρμένην καὶ ἀμηχανίῃσι· ὅκως ἂν πρὸς μετρίης τε κτήσιος ἐπιμελῆται, καὶ μετρῆται ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις ἡ ταλαιπωρίη. [3]) — Διζημένοισι γὰρ τ' ἀγαθὰ μόλις παραγίγνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισιν. [4]) Proponebat idcirco lugentibus vitam calamitatum plenam, quibus ne quis succumberet, omnibus viribus studere debebat, atque ideo mortem non esse lugendam, quippe quae hisce miseriis nos liberet. Mors enim ex eius sententia non corpus tantum, sed etiam animum exstinguit; nam cum animus ex atomis compositus sit, atomi autem resolvi possint, ita quoque animus exstinguatur prorsus est necesse. [5]) Ridebat igitur

---

1) Stob. Ibid. tit. 108, 67. Cff. de hac eius doctrina Brucker *Hist. crit. phil.* Edit. II. T. I. pag. 1198. Meiners *Gesch. der Wissensch. in Gr. und Rom.* Vol. I. pag. 728. Lafaist *Diss. sur la phil. atomistique.* Par. 1833 p. 102.

2) Stob. *Flor.* tit. 108, 64. Cf. Stob. *Ecl. Eth.* II. 9, 5.

3) Ibid. tit. 98, 65.

4) Ibid. tit. 98, 58.

5) Cic. *Tusc. Q.* I. 11. Cff. Fr. Heimsoeth *Democriti de animo doctrina*, Bonn. 1835, p. 3 sqq. Lafaist l. l. p. 88.

2

eos, qui metu mortis angebantur, infelices se post mortem futuros, eamque summum malum ducentes. *Ἔνιοι*, ait, *θνητῆς φύσεως διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσει δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχαῖς καὶ φόβοις ταλαιπωροῦσι, ψεύδεα περὶ τοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου.* [1]) Adhortabatur etiam eos, qui de senectutis miseriis querebantur, iisque hoc solatium praebebat, quod etiamsi vigorem ac pulchritudinem desiderarent, quae juventutis essent propria, tamen seni adesset prudentia, qua et suis rebus melius prospicere et aliis consilio ac dignitate opitulari posset. Senectutem praeterea frui memoria rerum gestarum et perceptae voluptatis, ideoque juventuti praeferendam esse, quum incertum sit, num juvenis ad magnam perventurus sit aetatem. *Ὁ γέρων νέος ἐγένετο· ὁ δὲ νέος, ἄδηλον, εἰ ἐς γῆρας ἀφίξεται· τὸ τέλειον οὖν ἀγαθὸν τοῦ μέλλοντος, εἰ καὶ ἀδήλου, κρέσσον.* [2]) Praecepisse etiam de exsilio quaedam videtur, quum praeclara haec ejus sententia ab antiquis memoretur: *ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή· ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.* [3]) Sunt exigua haec, quae Democritum de consolatione monuisse ex eius fragmentis efficere licet; num vero idem haec philosophicis disputationibus magis

---

1) Stob. *Flor.* tit. 120, 20. Eadem fere haec sententia occurrit etiam tit. 98, 61. Cf. tit. 4, 75 et 81.

2) Ibid. tit. 115, 19 et 21. His contraria quaedam eiusdem philosophi leguntur tit. 116, 41 et 45, ubi senectutis mala refert. Fortasse hisce usus est ad consolandos eos, qui liberos puerili aetate morte amiserunt, ut doceret, infelices eos non esse praedicandos, quod senectutis miserias aufugissent.

3) Ibid. tit. 40, 7. De paupertate quoque monuisse videtur, ut apparet ex fragmentis, quae servavit Stobaeus tit. 43, 42, tit. 108, 70.

explicuerit, an in κέρατι ἀμαλθείας brevia tantum praecepta dederit, affirmari nequit; postremum tamen magis est veri consentaneum, quum fere omnia Democriti, quotquot exstant, fragmenta, sententiosa sint dicta atque ipse operis titulus id indicare videatur.

Subjiciamus huic *Hipparchum* Pythagoreum, non propterea quod aetate proximus sit Democrito, floruit enim tempore Lysidis et Epaminondae, sed quod ille quoque de animi tranquillitate conscripserit librum, qui tamen temporis injuria nostram non vidit aetatem. Quominus vero totum desideraremus opus, fecit studium Stobaei, qui satis amplum eius nobis servavit fragmentum, quod in loco consolatorio maxime versatur. 1) Attamen ut de ceteris Pythagoreorum reliquiis, ita quoque de Hipparchi fragmento apud Stobaeum, num genuinum esset, dubitarunt viri docti, quum in iis nonnulla invenirent, quae cum doctrina Pythagorae haud congruerent. 2) Quod etsi de ceteris verum sit, de Hipparcho tamen plane affirmari nequit, quem e schola Pythagorae ejectum fuisse legimus, quia placita magistri scripto mandaverat et communicaverat cum hominibus non rite initiatis. 3) Facile igitur ille deinde vel Peripateticae vel alii philosophorum sectae operam navare, atque ita talia in scriptis proferre potuit, quae ceteroquin cum Pythagorae placitis minus

1) Stob. *Flor.* tit. 108, 81. Ed. Gaisf.

2) Vidd. Brucker *Hist. crit. phil.* I. p. 1102. Meiners *Gesch. der Wiss.* I. p. 601. Ritter *Gesch. der Pyth. Phil.* p. 63 sqq. et *Gesch. der Phil.* Vol. I. p. 359 sq.

3) Jambl. *de vit. Pyth.* 75 narrat eum a Lyside hac de re fuisse reprehensum, ac deinde e schola ejectum, a Pythagoreis tanquam mortuum fuisse habitum ipsique monumentum fuisse exstructum, quam Pythagoreorum consuetudinem pluribus refert idem 74. Cf. Clem. Alex. l. V. Strom. p. 575.

convenirent. Neque multum huc facit argumentatio Meinersii, qui fragmentum illud spurium demonstravit ejusque auctorem Pythagoreum negavit, argumento inde petito, quod ille animum humanum mortalem statuerit. Quod probaturus, conjecturam invocavit Galii, qua locum Hipparchi prorsus mutilum ita sanavit, ut sex verba ex suo ingenio in textum reciperet, non animadvertens conjecturae tantum tribui non posse, ut inde sententia philosophi stabiliatur.[1]) Itaque nisi quis meliora docuerit, cum Wyttenbachio, Tiedemanno[2]) aliis genuinum illud fragmentum statuemus indeque ad nostrum locum proficiemus.

Agit autem Hipparchus in fragmento illo de tranquillitate animi, quam nobis comparari posse docet, si brevissimam esse vitam cum aeternitate comparatam, eandemque multis calamitatibus repletam consideraverimus. Adesse enim complura corporis mala, morbos omnis generis et infinito paene numero, animum porro cupiditatibus distrahi, quae ad impia ac scelesta perpetranda

1) Meiners l. l. p. 602 not. Locus Hipparchi apud Stobaeum sic sese habet: *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πολλὰ παρασκευαζόμενοι, ὡς οὐκ ἔστι ζῆν μετὰ τὸν τᾶς ζωᾶς. χρόνον, ἄξεστι γενέσθαι, χρησώμεθα παρουσίᾳ τῶν ἀγαθῶν κ. τ. λ.* Galius autem in *Opusc. Myth.* p. 673 ita legendum conjecit: *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πολλὰ παρασκευαζόμενοι, ὡς οὐκ ἔστι ζῆν μετὰ τὸν τᾶς ζωᾶς χρόνον οὐκ ἀναλογίζονται, ἐπεὶ ὧν τοῦτο οὐκ ἔξεστι γενέσθαι, χρησώμεθα κ. τ. λ.* unde pateret auctorem fragmenti animum humanum habuisse mortalem. Sed pari jure, pro *οὐκ ἀναλογίζονται,* quod conjecturâ in textum recepit Galius, deleto vocabulo *οὐκ,* legere possis *ἀναλογίζονται*, indeque efficere, Hipparchum animi immortalitatem docuisse.

2) Wyttenb. in rec. operis Meinersii *Bibl. Crit.* P. VIII. p. 119 not. Cf. Idem ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 698. Tiedemann *Griechenlands erste Phil.* p. 206 sqq.

incitent hominem, his denique accedere multa alia mala, quae extrinsecus homini accidant, fames, pestes, quae saepius integras devastent civitates. Malis autem hisce, ex ejus sententia, sponte se liberabit, quicumque rebus jucundis non nimis indulserit, quippe quae citius evanescant, quam oriantur, quaeque efficiant, ut amissas deinde eo magis lugeamus. *Πάντα γὰρ ταῦτα, ἄστατά τε καὶ ἀβέβαια Εὐρίπου τρόπον, ἐν πόλλαις καὶ ποικίλαις μεταβολαῖς γινόμενα παρειλήφαμεν· καὶ οὐδὲν αὐτῶν μένον, οὐδὲ ἀκίνητον, οὐδὲ βέβαιον, οὐδὲ ἀδιαίρετον.* Omnia idcirco non majori, sed suo pretio habenda sunt, quod si quis neglexerit, miserrime deget reliquam vitam. Accidere autem illud iis, qui liberorum, pecuniae, amicorumve amissionem plorent, qui se solos miseros praedicent, non reputantes, et antea et nunc sexcentos alios iisdem afflictos esse calamitatibus, et talem semper fuisse semperque fore vitae humanae conditionem. Solatio praeterea esse, si reputamus saepius ea, quae mala videantur, prodesse hominibus, multos enim e. g. propter amissam pecuniam a tyranni praedonumve injuriis esse liberatos. *Οὐδὲ γὰρ θέμις ἄνθρωπον μὲν ὄντα τὰ τῶν ἀλλοτρίων συμπτώματα εὔφορα νομίζειν, ἀλλὰ καὶ τὰ ἴδια κάδεα, ἰδόντα ὅτι πολλαὶ κᾶρες κατὰ πάντα τὸν βίον πεφύκαντι.* Quiete igitur vivemus, si plorando nihil nos proficere, sed potius animum in pejora ducere memores, duce philosophia, mala, utpote humana, *ἀνθρωπίνως* tulerimus, nostramque vitam comparaverimus cum eorum sorte, qui nobis etiam infeliciores sunt.

Huc redit Hipparchi sententia apud Stobaeum. Nihil praeterea de eius opere exstat. Conjicere tamen licet in hoc libro eum quoque viros ad imitandum proposuisse, qui magna *εὐθυμίᾳ* vitam et egissent et finivissent. Re-

fert enim Diogenes Laertius, Democritum moribundum, ut gratificaretur sorori, quae in festo Cereris vota deae solvere vellet, naribus admovisse panes calidos atque ita vitam per tres dies servasse. Adjicit autem: ἐπεὶ δὲ παρῆλθον αἱ ἡμέραι, ἀλυπότατα τὸν βίον προήκατο, ὥς φησιν Ἵππαρχος. 1) Quamvis autem non addatur, quis ille fuerit, tamen cum mentio fiat vitae quietissime actae, id ad Hipparchum Pythagoreum pertinere in eiusque libro περὶ εὐθυμίας fuisse videtur.

§ 2.

Plato, Xenophon, Xenocrates.

Fuit haec Platoni propria philosophandi ratio, quam acceperat a Socrate, ut interius inquireret in animi humani facultates, atque omnia ad hominem referens, ipsius indolem emendare eumque ad vitam vere beatam agendam ducere niteretur. Quod quum esset eius primarium propositum, fieri non potuit, quin sedare animi perturbationes animosque contra fortunae mala confirmare studeret. Rationem enim a Diis datam esse homini docebat, qua cupiditates, dolorem, metum reprimeret, quicumque vero illius imperium non agnoscerent, munere illo divino esse indignos ac servire cupiditatibus. His igitur ut opitularetur, aegritudinem auferre vel minuere eosque ad pristinam animi tranquillitatem reducere tentabat. Licet autem consolationem proprie sic dictam, non conscripserit, quales alii philosophi, in primis Crantor, condiderunt, ita tamen in scriptis suis egit

1) Diog. Laert. IX. 43. Menagius ad h. l. mentionem facit de Hipparcho nobilissimo mathematico, dubitat vero an hic sit, quem significaverit Laertius, itaque rem amplius inquirendam censet, quum tot ab antiquis memorentur Hipparchi.

de nonnullis consolandi argumentis, eaque tam praeclare tamque copiose explicuit, ut in hoc etiam loco aliis viam montrasse ac veluti fons dicendus sit, ex quo ceteri deinde ad consolandos miseros suas rationes hauserunt. Quod, age, paullo uberius explicemus.

Ac primum quidem agendum de dialogo Menexeno, in quo Socrates orationem funebrem, ab Aspasia confectam, recitat.[1]) Cui orationum generi, ut supra jam est dictum, id proprium fuit, ut non tantum milites in bello mortui celebrarentur, verum etiam, ut eorum parentes ac cognati calamitatis illius acciperent solatia. Facit autem hoc Socrates in dialogo illo plane peculiari modo. Postquam enim et caesos milites et totam Athenarum civitatem collaudasset, eos inducit cum filios ad virtutem adhortantes, tum parentes de ipsorum morte consolantes.[2]) Reminisci oportet, aiunt, maxima quaeque, quae ante precati estis, vobis tradidisse Deos; non enim id in votis erat, ut immortales procrearetis liberos, sed ut fortes, sed ut bonos; hoc autem, quod parenti maximum est, abunde vobis competiit. Reputandum est porro, nemini omnia in vita ex voluntate cedere, atque ita fortiter ferendae sunt calamitates, ut et viros vos praestetis et talibus dignos filiis, qui gloriosam pro patria occubuerunt mortem. Pulcherrimum autem paroemium est, quod in omnium ore versatur, *τὸ μηδὲν ἄγαν*. Nam cui viro ex se apta sunt omnia, quae ad bene vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi

1) De Platonis in hoc dialogo conscribendo proposito, vidd. Stallbaum *Prolegg. ad Menex.* p. 10. sqq. et Gottleber *Plat. Menexenus et Periclis oratio funebr.* in prolegg. p. 2. sq.

2) Plat. *Menex.* p. 247. C.

ratio comparata est; hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens, hic et nascentibus et cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis, parebit et obediet praecepto illi veteri, neque enim laetabitur unquam nec moerebit nimis, quod semper in se ipse omnem spem reponet sui. 1) Tales igitur ut parentes sint nostri, precamur et obsecramus, neque hoc sibi persuadeant, lugendo sese et lamentando gratificari mortuis, sed potius gratissimos iis fore, si modice calamitatem ferant, cum clara nobis evenerit mors. *Τὰ γὰρ ἡμέτερα τελευτὴν ἤδη ἕξει, ἥπερ καλλίστη γίγνεται ἀνθρώποις, ὥστε πρέπει αὐτὰ μᾶλλον κοσμεῖν ἢ θρηνεῖν.*

Quae autem consolandi argumenta in Menexeno prodidit Plato, eadem in Politia Socratem dicentem inducit. Nam quum civitatem fingeret optimam, in qua sua quisque ageret, nihil antiquius habebat, quam ut custodes, quibus gravissima essent obeunda munera, contra mortis metum et nimium dolorem confirmaret. Itaque Homerum ex civitate sua arcebat, quod falsa quaeque ac terribilia de inferis dixisset et heroes ac Deos induxisset amicorum mortem nimis plorantes, ac prae dolore indigna facientes. Fortem enim virum esse dicebat *αὐτὸν αὑτῷ αὐτάρκη πρὸς τὸ εὖ ζῆν, καὶ διαφερόντως τῶν ἄλλων ἥκιστα ἑτέρου προσδεῖναι,* 2) atque ita dolori non cedere, si mortuus est amicus, quum ipse sibi ad vitam beatam sufficiat, et turpis liberoque homine indignus ipsi videatur nimius luctus. Quum enim aegritudo ex deteriore animi parte originem ducat, sapientis est ei adversari, ac ratione sua, divinitus ipsi tradita, efficere, utne melior animi

---

1) Huius loci interpretationem secuti sumus, quam dedit Cicero in *Tusc. Q.* V. 12.

2) Plat. *Polit.* l. III. init.

pars serviat deteriori, sed principatum ipsa tenens aegritudines subjectas sibi habeat. Assuefacere igitur ac praeparare animum debet adversus vitae mala, quod si rite fecérit, calamitates eum deinde non prosternent, sed leviter tantum pungent. *Βουλεύεσθαι χρὴ*, ait, *περὶ τὸ γεγονὸς, καὶ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα, ὅπῃ ὁ λόγος αἱρεῖ βέλτιστ' ἂν ἔχειν, ἀλλὰ μὴ προσπταίσαντας, καθάπερ παῖδας, ἐχομένους τοῦ πληγέντος ἐν τῷ βοᾶν διατρίβειν, ἀλλ' ἀεὶ ἐθίζειν τὴν ψυχὴν ὅτι τάχιστα γίγνεσθαι πρὸς τὸ ἰᾶσθαί τε καὶ ἐπανορθοῦν τὸ πεσόν τε καὶ νοσῆσαν, ἰατρικῇ τὴν θρηνῳδίαν ἀφανίζοντα.*[1]) Ei igitur, qui dolore cruciatur, reputandum est, quam parvae quam nullius sint momenti res humanae, ut earum et comparandarum studium et desiderium amissarum plane sit ineptum. Praeterea homini non liquet, bonine an mali quid insit iis, quae acciderunt, quum saepius multa nobis primo videantur esse maxima mala, quae deinde nostram auxisse felicitatem experimur. Minime idcirco indulgendum est dolori sed fortiter ipsi resistendum, quum lacrimis, planctu et lamentatione nihil proficiamus, sed contra animo noceamus ac rationem subjiciamus cupiditatibus. Neque etiam nimis plorandum est, si quem ex amicis vel cognatis amiserimus, quum mors potius bonum quam malum sit dicendum, quippe quae hominem a vitae molestiis liberatum, ad Deorum consortium educat. Quamdiu enim animus in corpore est inclusus, veram ipsius naturam non perspicimus, quum Glauci marini instar sordibus ac squalore sit obsitus: at vero ubi post mortem corporis custodiam aufugit suique

---

1) Plat. *Polit.* X. p. 604. C.

compos est factus, ea studia melius tractare potest, quibus in vita propter corporis contagionem operam vix dare potuerat. Quo maxime spectat oratio Eris cuiusdam Armenii, qui quum in proelio cecidisset, duodecimo die in vitam rediit, omniaque, quae in inferis viderat, narravit. Hic igitur se bonos convenisse dixit, qui in coelo eodem sedem suam habebant, quique suas *εὐπαθείας καὶ θέας ἀμηχάνους τὸ κάλλος* enarrabant; malos vero infinitis modis cruciari, ac pro quaque injustitia, quam perpetrassent in vita, decies poenas pendere. Quodsi igitur quis per vitae spatium justitiae studuerit, non metuet mortem, sed potius libenter eam opperietur, eam veluti transitum esse in meliorem ac veram vitam ratus. [1])

Praeclara quoque sunt, quae contra metum mortis in Apologia Socratis dilectissimum magistrum disputantem facit Plato. Quae, etiamsi per se spectata perquam egregia sint dicenda, eo majorem tamen in dolentis animo vim habere debent, quum ipse sit Socrates, qui ea proferat, in ipso temporis momento, quo indecora morte afficiendus erat. Nam si verum est, ut est verissimum, universe exempla magnopere valere ad hominum animos commovendos, praeclare sane Socratis imago a Platone expressa, qua summa animi tranquillitate ad judices verba facit deque futura animi conditione loquitur, non potest non interius commovere unumquemque et vim disputationi addere maximam. Sic autem Socrates agit de morte, ut eam minime malum esse doceat; alterutrum enim esse debere, vel ut totus intereat animus ideoque nullus in morte sit sensus, vel ut post mortem

---

1) Plat. *Polit.* X. p. 609 sqq. Cf. dilectissimi patris *Init. phil. Plat.* Vol. I. p. 84. sqq. Vol. III. p. 185. sqq.

vivere pergat animus atque in aliam se conferat sedem. Quodsi autem in morte nullus est sensus, minime in malis est habenda, quandoquidem similis erit placidissimo somno, qui nullis somniis turbetur. Sin vero mors est migratio in aliam sedem, veraque sunt, quae dicuntur, habitare illic omnes, qui e vita cesserunt, nihil illi felicitati est praeferendum. Tum enim animus omnes, quotquot exstiterunt, heroes et viros insignes videbit, cum iis colloquetur atque ita multa cognoscere poterit, quorum scientia ipsi in hac vita fuit denegata. Quum igitur acerbi nihil habeat mors, sed contra jucundi plurimum, quoniam a vitae aerumnis hominem liberet, fortiter est oppetenda ei, qui justitiam per vitam semper coluit. *Ἓν γάρ τι τοῦτο διανοεῖσθαι χρὴ ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα.* [1])

Consideravimus huc usque, quae argumenta consolandi Plato hic illic in scriptis suis prodiderit; agendum autem ultimo loco de Phaedone est, qui dialogus totus ad genus consolatorium est referendus. Discipulos enim, instantem carissimi magistri discessum dolentes, ita consolatur Socrates, ut non pejorem sed potius meliorem fore suam conditionem demonstret. Quod ut perficeret, mortis naturam explorat, eamque docet nihil aliud esse ac *τὴν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγήν*, qua animus a corporis vinculis liberatus, solus per sese vigeat. Haec igitur quum propria sit mortis natura, philosophiam dicit esse quasi mortis commentationem [2]); philosophum

---

1) *Apol. Socr.* p. 40. sqq.

2) *Phaedon* p. 64. Cf. Cic. *Tusc. Q.* I. 30.

enim, quum hoc per totam vitam studeat, ut a rebus externis avocet mentem, eamque ad verum, bonum ac justum adducat, in hac vita *οὐδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύειν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι.* Mortem idcirco non in malis, sed potius in summis bonis esse censendam, quippe qua illud sponte comparemus, quod summo labore in vita studuimus, ut animus corporis cupiditatibus purgatus ad veri cognitionem ac sapientiam perveniat. *Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ.* [1]) Aliis deinceps argumentis Socrates confabulando cum discipulis, in hoc dialogo, animi probat immortalitatem, idque facit tanta dicendi vi ac disputandi subtilitate, ut Cebes, qui multa eaque perquam gravia objecerat magistro, plane sibi persuasum esse dicat, animum interitus expertem et immortalitatis esse participem [2]). Quibus dictis Socrates de animi post mortem conditione disserens, a suo quemque genio narrat ad inferos ductum ibi judicari, atque eos, qui multa mala perpetrarunt in vita, suppliciis affici majoribus vel minoribus, ratione habita scelerum, quae commiserunt, qui vero sancte vixerunt ac maxime qui vere sunt philosophati, in coelestem ac divinam regionem duci ibique semper habitare.

Hoc autem Phaedonis argumentum quin ad consolatorium genus pertineat totum, nemo est qui dubitet: *καλὸν γὰρ τὸ ἆθλον καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη.* Quodsi ad exhortandos homines plurimum valent exempla, insignem hoc

---

1) Ibid. p. 67. B.

2) Ibid. p. 107. A. De argumentis autem, quibus ad probandam animi immortalitatem in Phaedone utitur Socrates, conf. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* Opusc. Vol. II. p. 580 sqq. Cf. *Init. phil. Plat.* Vol. III. p. 189.

ipso dialogo ac fere divinum se praebet idem Socrates. Licet enim per totam vitam coluerit justitiam, et sanam docendo philosophiam profuerit et juvenibus et civitati, tamen falso accusatus jamjam indignum in modum moriturus est. Querelas ex eius ore exspectares de turpi hominum agendi ratione deque Diis bonorum sortem minime curantibus; horum vero nihil; qua enim erat erga discipulos benevolentia, ad mortem usque iis prodesse et praejudicatas auferre opiniones eosque ad veram felicitatem ducere studet. Ipse interea animo tranquillus et hilaris, non timet instantem mortem neque de sua sorte sollicitus est, sed contra plane sibi persuasum habet, se post discessum ex hac vita beatiorem fore et ad Deos perventurum. Audiamus eum ad discipulos dicentem; *ὅτι μέντοι παρὰ θεοὺς δεσπότας πάνυ ἀγαθοὺς ἥξειν, εὖ ἴστε ὅτι, εἴπερ τι ἄλλο τῶν τοιούτων, διϊσχυρισαίμην ἂν καὶ τοῦτο· ὥστε διὰ ταῦτα οὐχ ὁμοίως ἀγανακτῶ, ἀλλ' εὔελπίς εἰμι εἶναί τι τοῖς τετελευτηκασιν.* 1) — *Ἐγὼ δὲ καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι ὁμόδουλός τε εἶναι τῶν κύκνων καὶ ἱερὸς τοῦ αὐτοῦ θεοῦ, καὶ οὐ χεῖρον ἐκείνων τὴν μαντικὴν ἔχειν παρὰ τοῦ δεσπότου, οὐδὲ δυσθυμότερον αὐτῶν τοῦ βίου ἀπαλλάττεσθαι.* 2) Neque hanc sibi esse persuasionem tantum dicit, verum dicta comprobat factis, qui cicutam accipiat *μάλα ἵλεως, καὶ οὐδὲν τρέσας οὐδὲ διαφθείρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου.* 3) Eam igitur vim haec Socratis disputatio atque agendi ratio in auditorum animis habuit, quam consolatio bene instituta habere solet, ut mixta iis laetitia cum

1) *Phaedon* p. 63. C.
2) Ibid. p. 85. B.
3) Ibid. p. 117. B.

dolore esset, quod optimum magistrum brevi essent amissuri, sed simul eum in meliores regiones profectum iri reputarent. Egregie id exprimit Phaedo Echecrati dicens: *ἀλλ' ἀτεχνῶς ἄτοπόν τί μοι πάθος παρῆν, καί τις ἀήθης κρᾶσις ἀπό τε τῆς ἡδονῆς συγκεκραμένη ὁμοῦ καὶ ἀπὸ τῆς λύπης, ἐνθυμουμένῳ, ὅτι αὐτίκα ἐκεῖνος ἔμελλε τελευτᾷν.* 1)

Platoni proximus est *Xenophon*, Socraticae doctrinae germanus ille discipulus. Cuius merita, ut in re militari, in historia, in philosophia permagna fuerunt, ita in loco de consolatione haud exigua sunt censenda. Nam etiamsi consolationes proprie ita dictas, quantum novimus, non scripserit, in Cyropaedia tamen atque in Apologia Socratis talia prodidit consolandi argumenta, quae ubi de illo philosophiae loco agitur, in primis sunt attendenda. Quum enim Cyri memorasset institutionem eiusque res gestas ac consilia exposuisset, tandem in fine libri ultima eius verba ad filios et amicos refert, quibus Socratica plane ratione tum illos ad justitiam colendam adhortatur, tum de futura sua post mortem conditione disserit. 2) Quo magis est mirandum, exstitisse, qui hanc Cyri morientis orationem non a Xenophontis manu prodiisse, sed ab alio interpolatam contenderent; quos tamen nodum in scirpo quaerere acute vidit ac demonstravit Wyttenbachius. 3) Itaque illos mittentes ad Cyri accedamus verba. Arbitrari se negat, animum humanum post mortem nusquam aut nullum esse, neque enim animum dum vivit conspici, sed ex iis, quae peragit, adesse intelligi. Mihi

1) Ibid. p. 59. A.
2) *Cyropaed.* l. VIII. c. 7.
3) Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 569. sq.

quidem, sic pergit, numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum exissent ex iis, emori, nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt; animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet.[1]) *Ἐννοήσατε δὲ, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδέν ἐστιν ὕπνου· ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τότε δήπου θειοτάτη καταφαίνεται, καὶ τότε τι τῶν μελλόντων προορᾷ· τότε γάρ, ὡς ἔοικε, μάλιστα ἐλευθεροῦται.* Hoc igitur Cyrus et sibi persuasum habet et aliis persuadere conatur, nullum in morte esse malum, quod diserte deinde ostendit, quum Persas ad tumulum suum congregari jubeat *συνησθησομένους ἐμοὶ*, ut ipse ait, *ὅτι ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη ἔσομαι, ὡς μηδὲν ἂν ἔτι κακὸν παθεῖν, μήτε ἢν μετὰ τοῦ θείου γένωμαι, μήτε ἢν μηδὲν ἔτι ὦ.*

Neque in Cyropaedia tantum, verum etiam in Apologia Socratis optima quaeque consolandi argumenta tradit Xenophon. Quod tamen scriptum, post Valckenarium, in primis Schneiderus et Delbruckius Xenophonti abjudicaverunt, argumento potissimum inde petito, quod multa ille libellus contineat, quae in postremo Memorabilium capite inveniantur, atque inde ab interpolatore desumta videantur. Sed perperam eos statuisse nuper docuit Geelius V. Cl., qui contra ultimum Memorabilium caput ex Apo-

1) Secuti sumus interpretationem huius loci, quam tradit Cicero *de Senect.* c. 22.

logia compilatum, hanc autem verosimiliter cum Memorabilibus unum confecisse opus ita demonstravit, ut dubium amplius non sit, quin Apologia Xenophontem habeat auctorem. [1]) Refert autem Xenophon in libello illo verba Socratis, quae et in judicio et post condemnationem suam locutus erat, quibusque se ipse et amicos de injusta sua morte erat consolatus. Plurimum autem sibi praesidium invenit in conscientia, se injusti nihil in vita peregisse, sed contra multa ad discipulorum patriaeque utilitatem contulisse, quumque Apollodorus molestissime se ferre diceret, quod injuste ipsum necari videret, praeclare respondit Socrates: „tune igitur malles me juste an injuste occidi?" [2]) Haec igitur recti conscientia ad mortem fortiter oppetendam eum impellebat, quocirca Hermogeni, qui ipsum ad caussam suam dicendam adhortabatur, respondit: *οὐ δοκῶ σοι ἀπολογεῖσθαι, μελετῶν διαβεβιωκέναι; ὅτι οὐδὲν ἄδικον διαγεγένημαι ποιῶν, ἥνπερ νομίζω μελέτην εἶναι καλλίστην ἀπολογίας.* [3]) Praeterea id ipsi erat solatio, quod ea potissimum vitae aetate sibi esset moriendum, qua et voluptatibus vitae esset fruitus, neque senectutis mala expertus. *Νῦν δέ*, sic ait, *εἰ ἔτι προβήσεται ἡ ἡλικία, οἶδ' ὅτι ἀνάγκη ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἀποτελεῖσθαι, καὶ ὁρᾶν τε χεῖρον, καὶ ἀκούειν ἧσσον, καὶ δυσμαθέστερον εἶναι, καὶ ὧν ἔμαθον ἐπιλησμονέστερον. — Ὅταν δὲ ἄσχημον μὲν μηδὲν μηδὲ δυσχερὲς ἐν ταῖς γνώμαις τῶν παρόντων καταλίπηται, ὑγιὲς δὲ τὸ σῶμα ἔχων καὶ τὴν ψυχὴν δυναμένην φιλοφρονεῖσθαι,*

---

1) Vid Cl. Geel *Comm. de Xenoph. Apol. Socr. ac postr. cap. Memorabilium* in *Comment. Lat. tert. Cl. Instituti regii Belg.* Vol. VI.

2) *Apol. Socr.* c. 28. Cf. c. 24.

3) Ibid. c. 3.

ἀπομαραίνηται, πῶς οὐκ ἀνάγκη τοῦτον ποθεινὸν εἶναι;[1]) Erigi praeterea se fatetur Palamedis exemplo, qui injuste ab Ulysse occisus, plures quam adversarius nactus esset laudes, atque ita spem sibi esse, ut se justitiam semper coluisse, omnibus deinde esset persuasum. Hinc mortem deprecari vel aufugere constanter recusavit, imo vero recti conscientiâ eo ducebatur, ut mulctam ipsi primum irrogatam solvere nollet, quod illa solvenda mali se conscium fateri videretur.

Addamus hisce insignem Platonis discipulum atque in Academia successorem, *Xenocratem*, qui magistri doctrinam magna ex parte retulit, neque multum ab eius sententia recessit. Hic a Diogene Laërtio librum περὶ θανάτου scripsisse dicitur, quem hodie periisse dubio caret. Fuerunt enim, qui Axiochum dialogum de morte, Aeschini Socratico vulgo tributum, Xenocratis esse contenderent eundemque, quem Laërtius in eius scriptis memorat, sed horum sententiam vanam esse ac nullis niti argumentis, satis jam monuerunt viri docti.[2]) Genuinum vero opus totum periit, ut adeo ne ullum quidem supersit fragmentum, ac nihil de eo nisi de titulo constet. Conjici autem potest, hoc opere conscribendo idem ipsi fuisse consilium, quod Platoni in Phaedone, ut veram mortis naturam indagaret, eamque veluti transitum in aliam eamque meliorem vitam proponeret.[3])

---

1) Ibid. c. 6, 7. Cf. Cl. Geelii interpretatio huius loci contra Schneiderum l. l. p. 6.

2) Vidd. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 600, Van de Wynpersse *Diss. de Xenocrate Chalcedonio* p. 194.

3) Xenocratem animum immortalem dixisse, nullus antiquorum retulit, sed valde id esse verisimile, docet Van de Wynpersse l. l. p. 147.

Quae si vera sunt, ut efficere licet ex studio, quo magistri placita amplexus est, non dubitamus, quin librum illum ad consolatorium genus referamus. Qualis vero fuerit operis ratio, et num aliis etiam consolandi argumentis usus sit, prorsus est incertum.

§. 3.

Aristoteles, *Theophrastus*, *Peripatetici*.

Aristoteles in nullo non doctrinae genere egregius, sua quoque merita in loco de consolatione habuit. In operibus enim eius exotericis dialogus fuit, *Εὔδημος ἢ περὶ ψυχῆς* inscriptus, qui tamen, ut cetera eius opera exoterica, uno excepto fragmento, totus interiit[1]). Licet autem eius dialogi universe inferiores fuisse Platonicis dicantur,[2]) summa tamen hujus libri jactura dicenda est, quum hoc potissimum dialogo sententiam suam de animi post mortem conditione explicuerit, et judice Wyttenbachio, in fragmento servato admiremur formam dicendi gravitati argumenti ac populari sensui accommodatam, plane diversam a forma dictionis librorum superstitum tenui et concisa, redundantem, gran-

---

1) Vid. Wytt. *Disp. de an. immort.* p. 605 et eiusdem Epistola ad patrem meum praemissa *Spec. crit. in Plat.* p. 48. De propria dialogi Ari totelici indole vidd. quae nuperrime disputarunt pater meus in *Charact. princ. phil. veterum* p. 150, 164 sqq. et Cl. Bakius *Schol. Hypomn.* Vol. II. p. 20 sqq. Cff. *Init. phil. Plat.* Vol. II. P. I. p. 134 sqq. 143.

2) Vid. Basilius Magn. *Epist.* 167 ubi dicit: *τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες, Ἀριστοτέλης μὲν καὶ Θεόφραστος, εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων, διὰ τὸ συνειδέναι ἑαυτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν.*

dem, ac paene tragicam.[1]) Inscripsit autem hunc dialogum *Εὔδημον*, in honorem Eudemi Cyprii, familiaris sui, qui quum quinquennium in Sicilia degisset, proelians ad Syracusas interiit.[2]) Huius vero mortem aegre tulisse videtur Aristoteles, ideoque consilium iniisse libri in amici memoriam scribendi, quod melius sibi perficere posse non videbatur, nisi dialogo componendo de animo, ut ita firmis argumentis demonstrando, animo post mortem bene esse, et in amici honorem velut monumentum poneret, et sibi aliquod doloris solatium quaereret. De dialogi personis nihil hodie constat, attamen verisimile est cum Wyttenbachio conjicere, Aristotelem in Eudemo sub diversis personis in utramque partem disputasse, ut alius Platonicam, alius vero ipsius de animo doctrinam defenderet.[3]) Praeclarum autem Plutarchus nobis servavit huius libri fragmentum, quo sive Aristoteles ipse, sive alia quaedam dialogi persona, beatos tantum eos praedicandos esse contendit, qui hac vita defuncti sunt, ac nefas esse de iis quidquam contumeliose dicere, quippe qui melioris ac praestantioris naturae facti sint participes. Sententiam autem hanc ita esse antiquam, ut eius initium et auctor prorsus ignorentur; illud vero omnibus esse in ore, *ὡς ἄρα μὴ γίνεσθαι μὲν, ἄριστον πάντων, τὸ δὲ τεθνᾶναι τοῦ ζῆν ἐστι κρεῖττον.* Comprobatum autem id esse deorum testimoniis; Silenum enim a Mida captum, et rogatum, quid homini optimum et maxime expetendum esset, primum siluisse, deinde vero, cum Midas eum magis ma-

1) Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* 115. B. Vol. VI. p. 765.
2) Plutarch. *vita Dion.* c. 22. Cicero *de Divinat.* I. 25.
3) Wyttenb. ad *Phaedon.* p. 249.

gisque, ut loqueretur, urgeret, haec dixisse: *Δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθε λέγειν, ἃ ὑμῖν ἄρειον μὴ γνῶναι; μετ' ἀγνοίας γὰρ τῶν οἰκείων κακῶν ἀλυπότατος ὁ βίος. Ἀνθρώποις δὲ πάμπαν οὐκ ἔστι γενέσθαι τὸ πάντων ἄριστον, οὐδὲ μετασχεῖν τῆς τοῦ βελτίστου φύσεως· ἄριστον γὰρ πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γενέσθαι· τὸ μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων ἀνυστὸν, δεύτερον δὲ, τὸ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιστα.*[1]) Cum autem ex hoc fragmento appareat, Aristotelem mortem homini magis quam vitam expetendam proposuisse, quaedam hoc loco de vitae humanae miseriis monuisse videtur, idque eo verisimilius, quod haec ei ab antiquis tribuitur sententia, quae fortasse in Eudemo fuit: *τί γάρ ἐστιν ἄνθρωπος; Ἀσθενείας ὑπόδειγμα, καιροῦ λάφυρον, τύχης παίγνιον, μεταπτώσεως εἰκὼν, φθόνου καὶ συμφορᾶς πλάστιγξ, τὸ δὲ λοιπὸν φλέγμα καὶ χολή.*[2])

In hoc item dialogo Aristoteles data opera veram animi indolem exploravit, eamque disquisitionem non ex naturae observatione instituit, quod fecit deinde in opere de anima, sed ita ut de animi in corpus descensu de-

---

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 115 B. De hac fabula a multis memorata vidd. quos laudat Wyttenb. ad h. l. Vol. VI. p. 765. Eadem usus est Cicero in consolatione sua, ut refert Lactantius Inst. III. 18, 19. Cf. Fr. Schneider *de Consol. Cic.* 1835 p. 21. Aristotelem huic fabulae alias narrationes addidisse, inde suspicatur Wyttenb., quod usus est locutione *τοῦτο μὲν*, antequam fabulam enarraret, cui vulgo respondeat *τοῦτο δὲ*. Idem tamen docet in longius deducta narratione respondentem particulam interdum omitti. Cf. Usterius ad Plut. l. l.

2) Stob. *Flor.* tit. 98, 60. Ed. Gaisf. Sententia autem, quam tit. 118, 22. Aristoteli tribuit: *ἄφυκτόν ἐστι τὸ τῆς πεπρωμένης κακόν*, fortasse quoque in hoc dialogo fuit.

que eius sorte ac statu uberius dissereret.[1]) Id autem praecipue hoc opere conscribendo spectavit, ut Pythagoreorum aliorumque doctrinam confutaret, qui animum harmoniam esse contenderent. Certo enim id apparet ex verbis Simplicii dicentis: *ἐν κοινῷ δὲ λεγομένους λόγους τοὺς συμμέτρως καὶ τοῖς πολλοῖς ἠρωτημένους καλεῖ, αἰνιττόμενος μὲν ἴσως καὶ τοὺς ἐν Φαίδωνι, λέγων δὲ καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ ἐν τῷ Εὐδήμῳ γραφέντας ἐλεγκτικοὺς τῆς ἁρμονίας.*[2]) Quo autem melius hac de re judicemus, afferamus locum Olympiodori, ubi Aristotelis in Eudemo ratiocinationem ita refert: *ὅτι ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Εὐδήμῳ οὕτως ἐπιχειρεῖ· τῇ ἁρμονίᾳ ἐναντίον ἐστιν ἡ ἀναρμοστία· τῇ ψυχῇ δὲ οὐδὲν ἐναντίον οὐσία γάρ· καὶ τὸ συμπέρασμα δῆλον. ἔτι· εἰ ἀναρμοστία τῶν στοιχείων τοῦ ζώου νόσος, ἡ ἁρμονία εἴη ἂν ὑγίεια, ἀλλ' οὐχὶ ψυχή. — Τὸ τρίτον ταυτὸν τῷ ἐν Εὐδήμῳ δευτέρῳ· τέταρτον δὲ, εἰ μὴ ἁρμονία αἴσθησις, ἢ θύμος, ἢ ἐπιθυμία, ἢ δόξα, ἢ διάνοια, ἢ νοῦς, ἁπλοῦν τι ἑκάστη ἑκάστου ἐνέργεια, καί τις ἂν εἴη ἑκάστη ἁρμονία, οὐκ ἂν ἔχοι τις ἀφορίσαι ῥᾳδίως, οὐδ' ἄρα ἡ ὅλη ψυχή.*[3]) Quae quum ita sint, haud videtur rejicienda Wyttenbachii opinio, conjicien-

---

1) Vid. Proclus *Comment. in Timaeum* I, 5. p. 338, ubi haec refert: *ὁ δὴ καὶ Ἀριστοτέλης ζηλώσας ἐν τῇ περὶ ψυχῆς πραγματείᾳ, φυσικῶς αὐτὴν μεταχειριζόμενος, οὔτε περὶ καθόδων ψυχῆς, οὔτε περὶ λήξεων ἐμνημόνευσεν· ἀλλ' ἐν τοῖς διαλόγοις χωρὶς ἐπραγματεύσατο περὶ αὐτῶν, καὶ τὸν προηγουμένον κατεβάλλετο λόγον.* Cff. Patricii *Discuss. Perip.* I. c. 7. p. 76. et Wyttenb. *de an. immort.* p. 606.

2) Simplic. *Comment. in Aristot. de anima* I. p, 14, a.

3) Verba sunt e Cod. Vossiano Bibl. Acad. Lugd. Bat. No. 15, 4to pag. 91, cuius scriptorem Olympiodorum esse putat Wyttenb. *ad Phaedon.* p. 249.

tis, illud, quod memoravimus, argumentum pro Platone disputantis fuisse, hoc vero ab Alexandro Aphrodisiensi allatum contrariam partem tuentis: *οὕτως ἐπεὶ ἁρμονίᾳ μὲν ἀναρμοστία ἐναντίον, ψυχῇ δὲ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον, οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ ἁρμονία· ὡς Πλάτων ἐπεχείρησεν ἐν τῷ Φαίδωνι· οὕτως δεικνύοι τις ἂν μὴ οὖσαν γένος τὴν ἀρχὴν τοῦ στοιχείου· εἴ γε τῇ μὲν ἀρχῇ ἐναντίον τὸ τέλος, τῷ δὲ στοιχείῳ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον.* 1)

In eodem porro dialogo interpretes fuisse putant, quae legimus in Ciceronis de Divinatione libris, ubi: „Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem, Pheras venisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur; in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent; ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim, scribit Aristoteles, consecuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum; quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse, ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur." 2) Quae nar-

---

1) Alex. Aphrod. *Comment. in Arist. Topic.* IV. p. 168. Cf. Wyttenb. l. l.

2) Cic. *de Divin.* I. 25, ibique Moserus.

ratio si revera in Eudemo Aristotelis fuit, credibile est, philosophum, postquam egerat de animi immortalitate, quo majorem argumentis suis ac disputationibus adderet auctoritatem, hanc in posteriore dialogi parte proposuisse, ut ita quasi divinâ sententiâ suam de animo doctrinam corroboraret, et defuncti sortem beatissimam praedicaret. [1]) Sunt haec, quae de Eudemo ex antiquis efficere licet; de elegia autem, quam ad Eudemum scripsisse Aristoteles dicitur, quamque nonnulli in hoc dialogo fuisse perhibent, nihil dicendum censuimus, quoniam non Aristotelem scriptorem habuisse, sed posterioris aevi foetus ac deinde in Aristotelis carmina relata esse videatur [2]).

Aristotelis philosophandi rationem ac doctrinam secutus et professus est *Theophrastus*, eiusdem et discipulus et in Lyceo successor. Scripsit autem librum, cui titulus erat *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους*, quem hodie deperditum, diu dubius haesi, num in consolatoriis enumerarem scriptis. A Wyttenbachio enim aliisque recentioribus ad nostrum argumentum communiter referri videbam, quamquam inter libelli fragmenta veterumque de eo ju-

---

1) Affirmare tamen non ausim, ea, quae refert Cicero, in Eudemo Aristotelis fuisse, quum opportune ea memorare potuerit in libro suo *de divinatione per somnum.* Licet enim hic liber supersit et nulla Eudemi in eo fiat mentio, excidisse tamen ea potuerunt e cap. 2., ubi mentionem facit eorum, qui futuram necessariorum vel amicorum sortem in somno praevident.

2) Incepisse hanc elegiam verbis *Καλλιτέχνου μητρὸς θύγατερ,* docet Diog. Laërt. V. 27. Fragmentum autem eius refert Olympiodorus ad Gorgiam, quod ideo ab Aristotele non confectum credit Buhle *Arist. Opp.* I. p. 53, quod in eo tertia persona de se loquitur, qui mos fuit posteriorum poëtarum. Eandem sententiam defendit Carrière *de Aristotele Platonis amico.* p. 18.

tis, illud, qu[illegible] ... um sententia illo-
disputantis [illegible] ... paullo accuratius
allatum co[illegible] ... inscripsit librum,
μὲν ἀναρ[illegible] ... phrasto amicitia jun-
οὐκ ἔστι [illegible] ... progredientem com-
τῷ Θεο[illegible] ... historicis scripto man-
ἀρχὴν [illegible] ... gis suscepit odium, quia
τῷ δ[illegible] ... dicere et agere solebat,

In [illegible] ... accusatione diro plecteretur
legim[illegible] ... ortem aegerrime ferens Theo-
sing[illegible] ... uicaretur sensibus, simulque,
er[illegible] ... dolorem, librum de luctu scri-
p[illegible] ... omen amici posuit in fronte.[2])
p[illegible] ... pere necessarii deploravit mor-
[illegible] ... Cicero dicens: „Theophrastus ... listhenis sodalis sui, rebus Alex- ... itaque dicit Callisthenem inci- ... a potentia summaque fortuna, ... modum rebus secundis uti conve- ... entia, licet haud dicat Cicero unde ... de communi interpretum judicio, ex ... desumta videtur. Prima vero fronte ... ad potius, quam ad consolatorium opus ... quippe quo luctui non indulgendum ... at. At vero ex Cicerone novimus, hanc ... de animi aegritudinibus sententiam,

... abierit Callisthenes, inter antiquos non constat.
... et Freinshemius *ad Curtium* l. VIII. c. 8, 21.
... cf. Stahr *Aristotelia* I. p. 121 sqq.
... p. I. p. 129. in not.
... III. 10.



ut naturales eas esse censerent, ideoque mediocrem luctum non improbarent,[1]) quod Theophrastum data opera in Callisthene suo explicuisse, testis est Alexander Aphrodisiensis dicens: φανερώτατα δὲ Θεόφραστος δείκνυσι ταὐτὸν ὂν τὸ καθ' εἱμαρμένην τῷ κατὰ φύσιν ἐν τῷ Καλλισθένει. [2]) Quum igitur luctum naturalem existimaret, mirum esse non potest, eum vim naturae non intulisse, sed potius sese illi accommodantem, deplorasse amicum, quem unum in paucis dilexerat maxime. Deinde vero suum dolorem, quoad fieri poterat, mitigasse videtur, reputando, hanc esse vitae humanae legem ac communem conditionem, ut nemo esse possit expers mali, quum omnes tam boni quam mali subsint fortunae multisque premantur calamitatibus. Hinc in opere illo laudavit sententiam hancce: *Vitam regit fortuna, non sapientia;* quo tamen dicto in omnium philosophorum reprehensionem incidit, qui languidius quidquam ab ullo philosopho dictum esse negarunt. Ciceroni vero nihil videbatur ab eo constantius dici potuisse; si enim, ait, tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortunae, nonne consentaneum est, plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere? [3]) Commu-

1) Cic. Ibid. IV. 19.

2) Alexand. Aphrod. ad l. 2. de anima.

3) Cic. *Tusc. Q.* V. 9. Refellit Plutarchus περὶ τύχης p. 97. C. hanc sententiam, quae nomine Chaeremonis sic legitur apud Stob. *Ecl. Phys.* p. 12. τυχὴ τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία. Eodem argumento usus est Phalaris, aut quisquis scripsit epistolas, quae illius nomine feruntur, in Epist. 58, ubi Lacritum quendam consolans, dicit: αἱ τύχαι γὰρ ἀνθρώπων τὸ πλεῖστον, οὐχ αἱ γνῶμαι κρατοῦσιν, ad quem locum cf. Lennepius p. 182, ut et Wyttenb. ad Plut. Vol. VI. p. 665.

nis autem hic in consolationibus locus fuit, unde Plutarchus in consolatione ad Apollonium similem Theophrasti sententiam laudat, quae, judice Wyttenbachio, in eius Callisthene fuit, ubi ἄσκοπος ἡ τύχη, ait, καὶ δεινὴ παρελέσθαι τὰ προπεπονημένα, καὶ μεταῤῥίψαι τὴν δοκοῦσαν εὐημερίαν, οὐδένα καιρὸν ἔχουσα τακτόν.[1]) Ac profecto, si quis alius, Theophrastus certe fuit, qui hanc fortunae vim et malignitatem accusaret, quum amicus, summa virtute instructus, crudelem obiisset mortem, quoniam Alexandro divinos honores non tribuens, eos reprehenderat, qui servorum instar ei adulabantur. Quae vero praeterea in libro illo ad sedandos dolores attulerit, quaeve praeceperit, ignoramus plane; illa tamen neque multa neque egregia fuisse, inde effici potest, quod, teste Cicerone, humiliter demisseque de vitae malis sentiret, eaque statueret magnam vim habere ad male misereque vivendum.[2])

Praeter eum alii etiam Peripatetici de consolatione, data opera, scripserunt, quorum tamen scripta nostram non vidisse aetatem vehementer dolemus. Multa enim illi, ut refert Cicero, attulerunt ad placandos animos, cumque alii docerent ea, quae homini evenirent, in malis omnino non esse habenda, illi hoc consolantis officium gravissimum putarunt, ut doceret, non magnum id esse malum.[3]) Sic autem illi de perturbationibus animi existimabant, ut quas alii exstirpandas censerent, non modo naturales dicerent, sed etiam a natura utiliter datas. Aegritudinem enim non sine magna utilitate a

---

1) Plut. *Consol. ad Apoll.* p. 104. C.

2) Cic. *Tusc. Q.* V. 9.

3) Cic. Ibid. III. 31. IV. 5.

natura docebant esse constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent; quum peccatorum impunitas iis data videretur, qui et ignominiam et infamiam ferrent sine dolore. Mediocritatem idcirco illi doloris requirebant, et consolanti hoc praecipiebant, ut dolorem resecaret, non vero penitus evelleret, quum neque id fieri posset, neque ad beatam vitam agendam plane esset opus. [1]) Quinam vero fuerint Peripatetici illi, qui de consolatione tam egregie monuerint, ignoramus hodie, quum eorum neque nomina ab antiquis memorentur, neque scripta supersint. Lyconem vero in his fuisse, inde efficere possumus, quod Cicero eum hac ratione aegritudinem extenuasse dicat, ut eam parvis tantum rebus, fortunae et corporis incommodis, non vero animi malis moveri demonstraret. [2]) Eodem fortasse referendi sunt Dicaearchus et Hieronymus Rhodius, quorum alter dialogo περὶ ψυχῆς animi naturam indagavit, eumque mortalem esse demonstravit, [3]) alter vero hanc sententiam professus, nihil bonum esse nisi vacuitatem doloris, id in primis studuit, ut ab aegri-

---

1) Cic. Ibid. IV. 19. sq. *De Off.* I. 25.

2) Cic. Ibid. III. 32. Cf. de eo Diog. Laërt. V. 65. sqq. Clem. Alex. Strom. II. p. 497.

3) Cic. Ibid. I. 10. Cf. de hoc dialogo Cl. Bakius *Schol. Hypomn.* II. p. 22. Cicero hoc quoque Dicaearchi opere in consolatione sua usus videtur, quoniam eo tempore, quo hunc librum scripsit, Atticum rogavit, ut Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque sibi mitteret. Epist. XIII. 32. Cf. Schneider *de Consol. Cic.* p. 10. sq. atque in primis Fr. Osann *Beitr. zur Gr. und Röm. Litt.* 1839. Vol. II. p. 35 sqq., qui accuratius de hoc opere agens, duabus id partibus constitisse docuit, quarum altera nomine *Λεσβιακοῦ* de animi natura mortali, altera vero, *Κορινθιακὸς* inscripta, de interitu hominum egit.

tudine homines liberaret eosque ad animi aequabilitatem reduceret. [1])

§. 4.

Crantor.

Et sic quidem in recensendis scriptoribus, qui de consolatione egerunt, sponte pervenimus ad Crantorem Solensem, Academiae philosophum, atque omnium in hoc loco principem habendum. Quos enim adhuc tractavimus philosophos, magis ἐν παρέργῳ consolatoria argumenta attigisse, quam consolationem scripsisse dicendi sunt, quum illi omnes vel de animi tranquillitate, vel de morte, vel de animo humano disputaverint, Crantor vero libello, qui inscribebatur περὶ πένθους, consolatus Hippoclem quendam de morte liberorum, argumentis omnibus, quae ipsi suppeditaverat philosophia, egregie usus est. Quodsi reputamus antiquorum de hoc libello judicia, et Diogenis Laërtii dicentis: θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους, [2]) et Ciceronis ita scribentis: *legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de Luctu; est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus;* [3]) non exiguam certe dolendi habemus caussam,

---

1) Cic. *Tusc. Q.* V. 30, 31. *De Finn.* II. 3, 5. sq. V. 5, 7 Cf. de eo Luzac *Lect. Att.* p. 197 sqq.

2) Diog. Laërt. IV. 27.

3) Cic. *Acad.* II. 44. Cicero quoque in consolatione sua de obitu Tulliae Crantoris librum maxime secutus est, testibus Plinio *Hist. Nat. Praef.* et Hieronymo *Epitaph. Nepot.* c. 4. Cf. fratris mei *Cicero φιλοπλάτων.* p. 246. sqq.

cum hoc quoque opusculum ad nostram non venerit aetatem. Quae jactura tamen aliquo modo inde compensatur, quod et Cicero in Tusculanis et Plutarchus in consolatione ad Apollonium, non solum Crantorem pluribus locis sunt secuti, sed nonnulla etiam ex eius libro de luctu ad verbum expresserunt, quae fragmenta, ante hoc triennium, collecta et in lucem prodita sunt. 1) Paullo igitur accuratius hujus philosophi et rationem operis et consolandi argumenta exponere conabor.

Fuit Crantori huius libri scribendi consilium, non tantum, ut Hippoclem de morte liberorum consolaretur, verum etiam, ut accurate de argumentis consolandi agens, simul aliorum, qui eodem premerentur calamitate, leniret dolores. Librum igitur inscribens *περὶ πένθους*, luctus naturam indagare studuit, quam talem agnovit, ut prorsus eam repellere non in nostra potestate esse contenderet. *Τὸ μὲν οὖν ἀλγεῖν*, ajebat, *καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ, φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν.* Natura enim cum afferat dolorem, ei cedendum existimabat, quippe qui premat atque instet, ut ei non resisti possit. 2) Improbabat autem duram illam Pyrrhoniorum *ἀπαθείαν*, qui omnia aequo animo ferenda putarent, quippe qua mutua hominum benevo-

---

1) Vid. Fr. Schneider *Comment. de Crantoris libro, qui περὶ πένθους inscribitur*, in opere *Zeitschrift für die Alterthumsw.* 1836 No. 104 et 105, et v. Bleeck van Rysewyk *Diss. de Crantore Solensi* Lugd. Bat. 1836 p. 34 sqq. Crantoris autem opus et Ciceroni in Tusculanis Quaest. et Plutarcho in Consol. ad Apoll. ob mentem fuisse versatum, jam dudum monuerunt interpretes, in primis Wyttenb. ad Plut. Op. c. et data opera demonstravit A. Matthiae in Prolusione anni 1808, quae legitur in eius *Vermischte Schriften.* Altenb. 1833 p. 44. sqq.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 29.

lentia evanesceret: improbabat item nimium luctum, utpote naturae humanae contrarium, immo damnosum et prudentes viros minime decentem; commendabat vero τὴν μετριοπαθείαν. Μὴ γὰρ νοσοῖμεν, inquit, νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων, εἴτ' ἀποσπῷτο· τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ· τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς, ἐκεῖ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν.[1]) Quaestionem deinde tractasse videtur de origine calamitatum, quas ex humana natura repetiit, quippe ita comparata, ut simul natis mali quaedam portio vitae nostrae immisceatur: φυομένοις μίγνυταί τις ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα· τὰ γάρ τοι σπέρματα εὐθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας, ἐξ ἧς ἀφυΐα μὲν ψυχῆς, νόσοι τε καὶ κήδεα καὶ μοῖρα θνητῶν ἐκεῖθεν ἡμῖν ἕρπει.[2]) Solatium autem hinc adesse homini, si persuasum sibi habeat, non sua culpa se in calamitatibus versari, sed a fortuna eas sibi esse immissas.[3]) Generali huic de malis humanis disquisitioni specialem adjunxit de morte, ut qualis illa esset et num tantopere esset lugenda, exploraret. Quid in morte, sic dicebat, tam difficile est aut molestum, quum cognata nobis sit ac familiaris? Quid mirum, si scissum est, quod erat ex natura sua scissile, aut crematum, quod ustile, aut si periit, quod ita erat natum, ut interire posset? Prouti quis ex argilla varias formas fingere et rursus diffingere idemque sexcenties repetere solet, sic natura quoque olim ex eadem materia avos nostros, postea patres, deinde nos protulit, ac deinceps alios ex aliis evolvet, ut fluvius

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 102 C. Cf. Wyttenb. ad h. l.
2) Plut. Ibid. p. 104. C.
3) Ibid. p. 114. C. Cic. *Tusc. Q.* III. 16.

ille ortus et interitus nostri nunquam subsistat, sed sine intermissione labi pergat. *Διὸ καὶ μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον, ὃ ἐδανείσαντο ἡμῶν οἱ προπάτορες· ὃ δὴ καὶ εὐκόλως καταβλητέον καὶ ἀστενάκτως, ὅταν ὁ δανείσας ἀπαιτῇ.* 1) — *Ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν, ὥσπερ παρακαταθεμένοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης, καὶ τούτου χρόνος οὐδείς ἐστιν ὡρισμένος τῆς ἀποδόσεως, ὥσπερ τοῖς τραπεζίταις τῆς τῶν θεμάτων, ἀλλ' ἄδηλον πότε ὁ δοὺς ἀπαιτήσει.* 2)

Ut autem mortem non malum, sed potius maximum bonum proponeret, immo vitae praeferendam, Socratis exemplo diversas de morte sententias persecutus videtur. Ex Socratica enim comparatione mortem altissimi somni esse similem dicebat, atque inde efficiebat, eam minime esse metuendam, quippe quae post vitae infinitos labores placatissimam homini concederet quietem. Quodsi, sic pergebat Crantor, ex eiusdem philosophi comparatione est migratio ex hac terra in illas regiones, quas qui e vita excesserunt, incolunt, quid illâ est optabilius, quum per eam a vinculis huius vitae eiusque cupiditatibus liberati, verum cognoscere possimus? Tertia porro de morte sententia, qua et animus et corpus interire putatur, ne haec quidem habet, quod malum eam dicamus. Una enim cum vita omnem quoque amitteremus sensum, ut neque bona neque mala percipere posse-

---

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 106. Locum hunc, qui verbis, dictionibus, compositione a reliquo Plutarchei libelli stilo differt, e libro Crantoris descriptum putat Wyttenb. annot. ad h. l.; quocum facit Usterius ad h. l. Cf. Schneider l. l. p. 843.

2) Plut. Ibid. p. 116. B. Verisimile est, hunc item locum Plutarchum Crantori debere. Vid. Van Rysewyk l. l. p. 69.

mus.[1]) Quamcumque igitur de morte sequeris sententiam, minime malum sed bonum videbitur. Si vero dubitas morsne vitae sit praeferenda, contemplanda est vita humana, innumeris calamitatibus et aerumnis repleta, ut adeo multi iique sapientes viri deploraverint res humanas, supplicium judicantes esse hanc vitam, summae calamitatis loco dicentes nasci hominem.[2]) Idem quoque ipsi testati sunt Dii, tum exemplo Cleobidis ac Bitonis, qui, Deum precante matre, ut filiis daret ad remunerandam eorum pietatem, quod homini esset optimum, statim mortui sunt; tum Agamedis et Trophonii, qui Apollinem precati, ut sibi templi aedificati mercedem daret, responso accepto, septimo se die eam esse soluturum, post septem dies mortem obierunt; tum etiam oraculo, quod accepit Terinaeus Elysius, qui, quum graviter filii mortem moereret, et venisset in psychomantium, quaerens quae fuisset tantae calamitatis causa, in tabulis tres huiusmodi accepit versiculos:

Ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur, fatorum numine, leto.
Sic fuit utilius finiri ipsique, tibique.[3])

Adjecisse autem his videtur Crantor suam de morte sententiam. Platonis enim vestigia premens, animum di-

---

1) Plut. Ibid. p. 107 sqq., quam sententiam e Crantoris libro mutuasse videtur Schneidero l. l. p. 844.

2) Haec Crantoris verba refert Plut. Ibid. p. 115. B. Verisimile est, illum his addidisse narrationem de Sileno a Mida capto, quam in Eudemo ab Aristotele propositam deinde refert Plutarchus. Cff. Schneider l. l. p. 847. et Van Rysewyk p. 67.

3) Cic. *Tusc. Q.* I. 48. ubi hoc e Crantore se mutuatum esse dicit. Graece eadem leguntur apud Plut. l. l. p. 109.

vinae esse originis docebat ac veluti particulam ex divina natura excerptam, quique corporis cupiditatibus et molestiis, quominus suam explicaret vim, impediretur, post mortem vero a corporis labe liberatus et ad Deos, unde venerat, reversus, ipsas res, prouti sint, visurus esset. Non igitur luctu, sed carminibus dignos esse ac felices praedicandos mortuos, quippe divinam nactos vitam et corporis vinculo solutos. *Οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς ἄξιὸς θρήνων, ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, οὐδὲ πένθους, ἀλλὰ μνήμης εὐκλεοῦς, οὐδὲ δακρύων ἐπωδύνων, ἀλλ' ἀστείων ἀπαρχῶν, εἴγε ὁ μετηλλαχὼς θειότερόν τινα βίον μετείληφεν, ἀπαλλαγεὶς τῆς τοῦ σώματος λατρείας, καὶ τῶν ἀτρύτων ἕνεκα τούτου φροντίδων τε καὶ συμφορῶν, ἃς ἀνάγκη τοὺς εἰληχότας τὸν θνητὸν βίον ὑπομένειν, ἕως ἂν ἐκπλήσωσι τὸν ἐπικλωσθέντα τῆς ζωῆς βίον.* 1)

Ut autem Hippoclem consolaretur, quod matura aetate liberos amisisset, usus videtur Crantor narratione Aristotelis, qui, ut Ciceronis utar verbis, apud Hypanim fluvium ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est, quae vero occidente sole, decrepita; eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur. 2) Neque certum est, quid mortuo, si diutius vixisset, accidisset, bonane an mala fuisset fruiturus conditione; illud vero est certissimum, post mortem, nullis eum calami-

---

1) Plut. l. l. p. 114. C.

2) Cic. *Tusc. Q.* I. 39. Hanc Aristotelis narrationem Wyttenb. et a Cicerone et a Plutarcho e Crantoris libro ductam esse putat, in annot. ad Plut. p. 111. C. Cf. Schneider l. l. p. 845.

tis, illud, quod memoravimus, argumentum pro Platone disputantis fuisse, hoc vero ab Alexandro Aphrodisiensi allatum contrariam partem tuentis: *οὕτως ἐπεὶ ἁρμονίᾳ μὲν ἀναρμοστία ἐναντίον, ψυχῇ δὲ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον, οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ ἁρμονία· ὡς Πλάτων ἐπεχείρησεν ἐν τῷ Φαίδωνι· οὕτως δεικνύοι τις ἂν μὴ οὖσαν γένος τὴν ἀρχὴν τοῦ στοιχείου· εἴ γε τῇ μὲν ἀρχῇ ἐναντίον τὸ τέλος, τῷ δὲ στοιχείῳ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον.* 1)

In eodem porro dialogo interpretes fuisse putant, quae legimus in Ciceronis de Divinatione libris, ubi: „Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem, Pheras venisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur; in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent; ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim, scribit Aristoteles, consecuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum; quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse, ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur." 2) Quae nar-

---

1) Alex. Aphrod. *Comment. in Arist. Topic.* IV. p. 168. Cf. Wyttenb. l. l.

2) Cic. *de Divin.* I. 25, ibique Moserus.

ratio si revera in Eudemo Aristotelis fuit, credibile est, philosophum, postquam egerat de animi immortalitate, quo majorem argumentis suis ac disputationibus adderet auctoritatem, hanc in posteriore dialogi parte proposuisse, ut ita quasi divinâ sententiâ suam de animo doctrinam corroboraret, et defuncti sortem beatissimam praedicaret. 1) Sunt haec, quae de Eudemo ex antiquis efficere licet; de elegia autem, quam ad Eudemum scripsisse Aristoteles dicitur, quamque nonnulli in hoc dialogo fuisse perhibent, nihil dicendum censuimus, quoniam non Aristotelem scriptorem habuisse, sed posterioris aevi foetus ac deinde in Aristotelis carmina relata esse videatur 2).

Aristotelis philosophandi rationem ac doctrinam secutus et professus est *Theophrastus*, eiusdem et discipulus et in Lyceo successor. Scripsit autem librum, cui titulus erat *Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους*, quem hodie deperditum, diu dubius haesi, num in consolatoriis enumerarem scriptis. A Wyttenbachio enim aliisque recentioribus ad nostrum argumentum communiter referri videbam, quamquam inter libelli fragmenta veterumque de eo ju-

---

1) Affirmare tamen non ausim, ea, quae refert Cicero, in Eudemo Aristotelis fuisse, quum opportune ea memorare potuerit in libro suo *de divinatione per somnum*. Licet enim hic liber supersit et nulla Eudemi in eo fiat mentio, excidisse tamen ea potuerunt e cap. 2., ubi mentionem facit eorum, qui futuram necessariorum vel amicorum sortem in somno praevident.

2) Incepisse hanc elegiam verbis *Καλλιτέχνου μητρὸς θύγατερ*, docet Diog. Laërt. V. 27. Fragmentum autem eius refert Olympiodorus ad Gorgiam, quod ideo ab Aristotele non confectum credit Buhle *Arist. Opp.* I. p. 53, quod in eo tertia persona de se loquitur, qui mos fuit posteriorum poëtarum. Eandem sententiam defendit Carrière *de Aristotele Platonis amico.* p. 18.

dicia haud pauca inveniuntur, quae cum sententia illorum repugnare videantur. Quod, age, paullo accuratius exponamus. Callisthenes, cuius nomine inscripsit librum, discipulus fuit Aristotelis et Theophrasto amicitia junctus. Alexandrum autem in Persas progredientem comitatus, ut eius res gestas cum aliis historicis scripto mandaret, mox potentissimi huius regis suscepit odium, quia ab adulatione alienus liberius dicere et agere solebat, ita ut tandem falsa proditionis accusatione diro plecteretur supplicio [1]). Huius igitur mortem aegerrime ferens Theophrastus, ut amicitiae gratificaretur sensibus, simulque, ut videtur, suum minueret dolorem, librum de luctu scribere constituit, ideoque nomen amici posuit in fronte. [2]) Miseram autem in hoc opere necessarii deploravit mortem, quod diserte testatur Cicero dicens: „Theophrastus interitum deplorans Callisthenis sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur: itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum, quemadmodum rebus secundis uti conveniret". [3]) Quae sententia, licet haud dicat Cicero unde eam hauserit, tamen, de communi interpretum judicio, ex eius libro de luctu desumta videtur. Prima vero fronte haec ad quidvis aliud potius, quam ad consolatorium opus referenda videntur, quippe quo luctui non indulgendum sed succurrendum sit. At vero ex Cicerone novimus, hanc Peripateticis fuisse de animi aegritudinibus sententiam,

---

1) Quam mortem obierit Callisthenes, inter antiquos non constat. Vid. Arrianus IV. 14. et Freinshemius *ad Curtium* l. VIII. c. 8, 21. De Callisthenis rebus cf. Stahr *Aristotelia* I. p. 121 sqq.

2) Vid. Stahr. Op. l. p. 129. in not.

3) Cic. *Tusc. Q.* III. 10.

ut naturales eas esse censerent, ideoque mediocrem luctum non improbarent,[1]) quod Theophrastum data opera in Callisthene suo explicuisse, testis est Alexander Aphrodisiensis dicens: φανερώτατα δὲ Θεόφραστος δείκνυσι ταὐτὸν ὂν τὸ καθ' εἱμαρμένην τῷ κατὰ φύσιν ἐν τῷ Καλλισθένει.[2]) Quum igitur luctum naturalem existimaret, mirum esse non potest, eum vim naturae non intulisse, sed potius sese illi accommodantem, deplorasse amicum, quem unum in paucis dilexerat maxime. Deinde vero suum dolorem, quoad fieri poterat, mitigasse videtur, reputando, hanc esse vitae humanae legem ac communem conditionem, ut nemo esse possit expers mali, quum omnes tam boni quam mali subsint fortunae multisque premantur calamitatibus. Hinc in opere illo laudavit sententiam hancce: *Vitam regit fortuna, non sapientia;* quo tamen dicto in omnium philosophorum reprehensionem incidit, qui languidius quidquam ab ullo philosopho dictum esse negarunt. Ciceroni vero nihil videbatur ab eo constantius dici potuisse; si enim, ait, tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortunae, nonne consentaneum est, plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere?[3]) Commu-

---

1) Cic. Ibid. IV. 19.

2) Alexand. Aphrod. ad l. 2. de anima.

3) Cic. *Tusc. Q.* V. 9. Refellit Plutarchus περὶ τύχης p. 97. C. hanc sententiam, quae nomine Chaeremonis sic legitur apud Stob. *Ecl. Phys.* p. 12. τυχὴ τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία. Eodem argumento usus est Phalaris, aut quisquis scripsit epistolas, quae illius nomine feruntur, in Epist. 58, ubi Lacritum quendam consolans, dicit: αἱ τύχαι γὰρ ἀνθρώπων τὸ πλεῖστον, οὐχ αἱ γνῶμαι κρατοῦσιν, ad quem locum cf. Lennepius p. 182, ut et Wyttenb. ad Plut. Vol. VI. p. 665.

nis autem hic in consolationibus locus fuit, unde Plutarchus in consolatione ad Apollonium similem Theophrasti sententiam laudat, quae, judice Wyttenbachio, in eius Callisthene fuit, ubi *ἄσκοπος ἡ τύχη*, ait, *καὶ δεινὴ παρελέσθαι τὰ προπεπονημένα, καὶ μεταῤῥῖψαι τὴν δοκοῦσαν εὐημερίαν, οὐδένα καιρὸν ἔχουσα τακτόν.* 1) Ac profecto, si quis alius, Theophrastus certe fuit, qui hanc fortunae vim et malignitatem accusaret, quum amicus, summa virtute instructus, crudelem obiisset mortem, quoniam Alexandro divinos honores non tribuens, eos reprehenderat, qui servorum instar ei adulabantur. Quae vero praeterea in libro illo ad sedandos dolores attulerit, quaeve praeceperit, ignoramus plane; illa tamen neque multa neque egregia fuisse, inde effici potest, quod, teste Cicerone, humiliter demisseque de vitae malis sentiret, eaque statueret magnam vim habere ad male misereque vivendum. 2)

Praeter eum alii etiam Peripatetici de consolatione, data opera, scripserunt, quorum tamen scripta nostram non vidisse aetatem vehementer dolemus. Multa enim illi, ut refert Cicero, attulerunt ad placandos animos, cumque alii docerent ea, quae homini evenirent, in malis omnino non esse habenda, illi hoc consolantis officium gravissimum putarunt, ut doceret, non magnum id esse malum. 3) Sic autem illi de perturbationibus animi existimabant, ut quas alii exstirpandas censerent, non modo naturales dicerent, sed etiam a natura utiliter datas. Aegritudinem enim non sine magna utilitate a

---

1) Plut. *Consol. ad Apoll.* p. 104. C.
2) Cic. *Tusc. Q.* V. 9.
3) Cic. Ibid. III. 31. IV. 5.

natura docebant esse constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent; quum peccatorum impunitas iis data videretur, qui et ignominiam et infamiam ferrent sine dolore. Mediocritatem idcirco illi doloris requirebant, et consolanti hoc praecipiebant, ut dolorem resecaret, non vero penitus evelleret, quum neque id fieri posset, neque ad beatam vitam agendam plane esset opus. [1]) Quinam vero fuerint Peripatetici illi, qui de consolatione tam egregie monuerint, ignoramus hodie, quum eorum neque nomina ab antiquis memorentur, neque scripta supersint. Lyconem vero in his fuisse, inde efficere possumus, quod Cicero eum hac ratione aegritudinem extenuasse dicat, ut eam parvis tantum rebus, fortunae et corporis incommodis, non vero animi malis moveri demonstraret. [2]) Eodem fortasse referendi sunt Dicaearchus et Hieronymus Rhodius, quorum alter dialogo περὶ ψυχῆς animi naturam indagavit, eumque mortalem esse demonstravit, [3]) alter vero hanc sententiam professus, nihil bonum esse nisi vacuitatem doloris, id in primis studuit, ut ab aegri-

---

1) Cic. Ibid. IV. 19. sq. *De Off.* I. 25.

2) Cic. Ibid. III. 32. Cf. de eo Diog. Laërt. V. 65. sqq. Clem. Alex. Strom. II. p. 497.

3) Cic. Ibid. I. 10. Cf. de hoc dialogo Cl. Bakius *Schol. Hypomn.* II. p. 22. Cicero hoc quoque Dicaearchi opere in consolatione sua usus videtur, quoniam eo tempore, quo hunc librum scripsit, Atticum rogavit, ut Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque sibi mitteret. Epist. XIII. 32. Cf. Schneider *de Consol. Cic.* p. 10. sq. atque in primis Fr. Osann *Beitr. zur Gr. und Röm. Litt.* 1839. Vol. II. p. 35 sqq., qui accuratius de hoc opere agens, duabus id partibus constitisse docuit, quarum altera nomine *Λεσβιακοῦ* de animi natura mortali, altera vero, *Κορινθιακὸς* inscripta, de interitu hominum egit.

tudine homines liberaret eosque ad animi aequabilitatem reduceret. [1])

§. 4.

Crantor.

Et sic quidem in recensendis scriptoribus, qui de consolatione egerunt, sponte pervenimus ad Crantorem Solensem, Academiae philosophum, atque omnium in hoc loco principem habendum. Quos enim adhuc tractavimus philosophos, magis ἐν παρέργῳ consolatoria argumenta attigisse, quam consolationem scripsisse dicendi sunt, quum illi omnes vel de animi tranquillitate, vel de morte, vel de animo humano disputaverint, Crantor vero libello, qui inscribebatur περὶ πένθους, consolatus Hippoclem quendam de morte liberorum, argumentis omnibus, quae ipsi suppeditaverat philosophia, egregie usus est. Quodsi reputamus antiquorum de hoc libello judicia, et Diogenis Laërtii dicentis: θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους, [2]) et Ciceronis ita scribentis: *legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de Luctu; est enim non magnus, verum aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus;* [3]) non exiguam certe dolendi habemus caussam,

---

1) Cic. *Tusc. Q.* V. 30, 31. *De Finn.* II. 3, 5. sq. V. 5, 7 Cf. de eo Lusac *Lect. Att.* p. 197 sqq.

2) Diog. Laërt. IV. 27.

3) Cic. *Acad.* II. 44. Cicero quoque in consolatione sua de obitu Tulliae Crantoris librum maxime secutus est, testibus Plinio *Hist. Nat. Praef.* et Hieronymo *Epitaph. Nepot.* c. 4. Cf. fratris mei *Cicero φιλοπλάτων.* p. 246. sqq.

cum hoc quoque opusculum ad nostram non venerit aetatem. Quae jactura tamen aliquo modo inde compensatur, quod et Cicero in Tusculanis et Plutarchus in consolatione ad Apollonium, non solum Crantorem pluribus locis sunt secuti, sed nonnulla etiam ex eius libro de luctu ad verbum expresserunt, quae fragmenta, ante hoc triennium, collecta et in lucem prodita sunt. 1) Paullo igitur accuratius hujus philosophi et rationem operis et consolandi argumenta exponere conabor.

Fuit Crantori huius libri scribendi consilium, non tantum, ut Hippoclem de morte liberorum consolaretur, verum etiam, ut accurate de argumentis consolandi agens, simul aliorum, qui eodem premerentur calamitate, leniret dolores. Librum igitur inscribens *περὶ πένθους*, luctus naturam indagare studuit, quam talem agnovit, ut prorsus eam repellere non in nostra potestate esse contenderet. *Τὸ μὲν οὖν ἀλγεῖν*, ajebat, *καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ, φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν.* Natura enim cum afferat dolorem, ei cedendum existimabat, quippe qui premat atque instet, ut ei non resisti possit. 2) Improbabat autem duram illam Pyrrhoniorum *ἀπαθείαν*, qui omnia aequo animo ferenda putarent, quippe qua mutua hominum benevo-

---

1) Vid. Fr. Schneider *Comment. de Crantoris libro, qui περὶ πένθους inscribitur*, in opere *Zeitschrift für die Alterthumsw.* 1836 No. 104 et 105, et v. Bleeck van Rysewyk *Diss. de Crantore Solensi* Lugd. Bat. 1836 p. 34 sqq. Crantoris autem opus et Ciceroni in Tusculanis Quaest. et Plutarcho in Consol. ad Apoll. ob mentem fuisse versatum, jam dudum monuerunt interpretes, in primis Wyttenb. ad Plut. Op. c. et data opera demonstravit A. Matthiae in Prolusione anni 1808, quae legitur in eius *Vermischte Schriften.* Altenb. 1833 p. 44. sqq.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 29.

lentia evanesceret: improbabat item nimium luctum, utpote naturae humanae contrarium, immo damnosum et prudentes viros minime decentem; commendabat vero *τὴν μετριοπαθείαν*. *Μὴ γὰρ νοσοῖμεν*, inquit, *νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ᾽ οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων, εἴτ᾽ ἀποσπῷτο· τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ· τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς, ἐκεῖ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν.*[1]) Quaestionem deinde tractasse videtur de origine calamitatum, quas ex humana natura repetiit, quippe ita comparata, ut simul natis mali quaedam portio vitae nostrae immisceatur: *φυομένοις μίγνυταί τις ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα τὰ γάρ τοι σπέρματα εὐθὺς θνητὰ ὄντα ταύτης κοινωνεῖ τῆς αἰτίας, ἐξ ἧς ἀφυΐα μὲν ψυχῆς, νόσοι τε καὶ κήδεα καὶ μοῖρα θνητῶν ἐκεῖθεν ἡμῖν ἕρπει.*[2]) Solatium autem hinc adesse homini, si persuasum sibi habeat, non sua culpa se in calamitatibus versari, sed a fortuna eas sibi esse immissas.[3]) Generali huic de malis humanis disquisitioni specialem adjunxit de morte, ut qualis illa esset et num tantopere esset lugenda, exploraret. Quid in morte, sic dicebat, tam difficile est aut molestum, quum cognata nobis sit ac familiaris? Quid mirum, si scissum est, quod erat ex natura sua scissile, aut crematum, quod ustile, aut si periit, quod ita erat natum, ut interire posset? Prouti quis ex argilla varias formas fingere et rursus diffingere idemque sexcenties repetere solet, sic natura quoque olim ex eadem materia avos nostros, postea patres, deinde nos protulit, ac deinceps alios ex aliis evolvet, ut fluvius

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 102 C. Cf. Wyttenb. ad h. l.
2) Plut. Ibid. p. 104. C.
3) Ibid. p. 114. C. Cic. *Tusc. Q.* III. 16.

ille ortus et interitus nostri nunquam subsistat, sed sine intermissione labi pergat. *Διὸ καὶ μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον, ὃ ἐδανείσαντο ἡμῶν οἱ προπάτορες· ὃ δὴ καὶ εὐκόλως καταβλητέον καὶ ἀστενάκτως, ὅταν ὁ δανείσας ἀπαιτῇ.* 1) — *Ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν, ὥσπερ παρακαταθεμένοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης, καὶ τούτου χρόνος οὐδείς ἐστιν ὡρισμένος τῆς ἀποδόσεως, ὥσπερ τοῖς τραπεζίταις τῆς τῶν θεμάτων, ἀλλ' ἄδηλον πότε ὁ δοὺς ἀπαιτήσει.* 2)

Ut autem mortem non malum, sed potius maximum bonum proponeret, immo vitae praeferendam, Socratis exemplo diversas de morte sententias persecutus videtur. Ex Socratica enim comparatione mortem altissimi somni esse similem dicebat, atque inde efficiebat, eam minime esse metuendam, quippe quae post vitae infinitos labores placatissimam homini concederet quietem. Quodsi, sic pergebat Crantor, ex eiusdem philosophi comparatione est migratio ex hac terra in illas regiones, quas qui e vita excesserunt, incolunt, quid illâ est optabilius, quum per eam a vinculis huius vitae eiusque cupiditatibus liberati, verum cognoscere possimus? Tertia porro de morte sententia, qua et animus et corpus interire putatur, ne haec quidem habet, quod malum eam dicamus. Una enim cum vita omnem quoque amitteremus sensum, ut neque bona neque mala percipere posse-

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 106. Locum hunc, qui verbis, dictionibus, compositione a reliquo Plutarchei libelli stilo differt, e libro Crantoris descriptum putat Wyttenb. annot. ad h. l.; quocum facit Usterius ad h. l. Cf. Schneider l. l. p. 843.

2) Plut. Ibid. p. 116. B. Verisimile est, hunc item locum Plutarchum Crantori debere. Vid. Van Rysewyk l. l. p. 69.

mus.[1]) Quamcumque igitur de morte sequeris sententiam, minime malum sed bonum videbitur. Si vero dubitas morsne vitae sit praeferenda, contemplanda est vita humana, innumeris calamitatibus et aerumnis repleta, ut adeo multi iique sapientes viri deploraverint res humanas, supplicium judicantes esse hanc vitam, summae calamitatis loco dicentes nasci hominem.[2]) Idem quoque ipsi testati sunt Dii, tum exemplo Cleobidis ac Bitonis, qui, Deum precante matre, ut filiis daret ad remunerandam eorum pietatem, quod homini esset optimum, statim mortui sunt; tum Agamedis et Trophonii, qui Apollinem precati, ut sibi templi aedificati mercedem daret, responso accepto, septimo se die eam esse soluturum, post septem dies mortem obierunt; tum etiam oraculo, quod accepit Terinaeus Elysius, qui, quum graviter filii mortem moereret, et venisset in psychomantium, quaerens quae fuisset tantae calamitatis causa, in tabulis tres huiusmodi accepit versiculos:

Ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur, fatorum numine, leto.
Sic fuit utilius finiri ipsique, tibique.[3])

Adjecisse autem his videtur Crantor suam de morte sententiam. Platonis enim vestigia premens, animum di-

---

1) Plut. Ibid. p. 107 sqq., quam sententiam e Crantoris libro mutuasse videtur Schneidero l. l. p. 844.

2) Haec Crantoris verba refert Plut. Ibid. p. 115. B. Verisimile est, illum his addidisse narrationem de Sileno a Mida capto, quam in Eudemo ab Aristotele propositam deinde refert Plutarchus. Cff. Schneider l. l. p. 847. et Van Rysewyk p. 67.

3) Cic. *Tusc. Q.* I. 48. ubi hoc e Crantore se mutuatum esse dicit. Graece eadem leguntur apud Plut. l. l. p. 109.

vinae esse originis docebat ac veluti particulam ex divina natura excerptam, quique corporis cupiditatibus et molestiis, quominus suam explicaret vim, impediretur, post mortem vero a corporis labe liberatus et ad Deos, unde venerat, reversus, ipsas res, prouti sint, visurus esset. Non igitur luctu, sed carminibus dignos esse ac felices praedicandos mortuos, quippe divinam nactos vitam et corporis vinculo solutos. *Οὐδεὶς γὰρ ἀγαθὸς ἄξιος θρήνων, ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, οὐδὲ πένθους, ἀλλὰ μνήμης εὐκλεοῦς, οὐδὲ δακρύων ἐπωδύνων, ἀλλ' ἀστείων ἀπαρχῶν, εἴγε ὁ μετηλλαχὼς θειότερόν τινα βίον μετείληφεν, ἀπαλλαγεὶς τῆς τοῦ σώματος λατρείας, καὶ τῶν ἀτρύτων ἕνεκα τούτου φροντίδων τε καὶ συμφορῶν, ἃς ἀνάγκη τοὺς εἰληχότας τὸν θνητὸν βίον ὑπομένειν, ἕως ἂν ἐκπλήσωσι τὸν ἐπικλωσθέντα τῆς ζωῆς βίον.* 1)

Ut autem Hippoclem consolaretur, quod matura aetate liberos amisisset, usus videtur Crantor narratione Aristotelis, qui, ut Ciceronis utar verbis, apud Hypanim fluvium ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est, quae vero occidente sole, decrepita; eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur. 2) Neque certum est, quid mortuo, si diutius vixisset, accidisset, bonane an mala fuisset fruiturus conditione; illud vero est certissimum, post mortem, nullis eum calami-

---

1) Plut. l. l. p. 114. C.

2) Cic. *Tusc. Q.* I. 39. Hanc Aristotelis narrationem Wyttenb. et a Cicerone et a Plutarcho e Crantoris libro ductam esse putat, in annot. ad Plut. p. 111. C. Cf. Schneider l. l. p. 845.

tatibus amplius premi posse. 1) Et omnino cuiusnam caussa luges, tuane an mortui? Si tua caussa, quod eius utilitate vel jucunditate privatus es, apparet, te non eum ipsum, sed eius auxilium desiderare; si vero mortui caussa ploras, quasi acerbi quid illi acciderit, erras profecto, quum multo ille post mortem beatior sit factus. 2) Viris praeterea indignum est lugere. *Θῆλυ γὰρ ὄντως καὶ ἀσθενὲς καὶ ἀγεννὲς τὸ πενθεῖν· γυναῖκες γὰρ ἀνδρῶν φιλοπενθέστεραί εἰσι, καὶ οἱ βάρβαροι τῶν Ἑλλήνων, καὶ οἱ χείρους ἄνδρες τῶν ἀμεινόνων.* 3) Imitandi vero sunt egregii quique viri, Anaxagoras, Pericles, Dion, alii, qui forti animo mortem necessariorum tulerunt, atque in memoriam revocandi sermones nostri, quibus alios in eadem calamitate versantes consolati sumus.4) Denique reputandum est, nullum esse luctum tam gravem tamque acerbum, quin temporis spatio mitigetur ac minuatur; quae si constans naturae lex est, turpe admodum est committere tempori, quod ipse ratione perficere possis: *ὃ οὖν μέλλεις τῷ χρόνῳ χαρίζεσθαι, τοῦτο τῷ λόγῳ χάρισαι καὶ τῇ παιδείᾳ, καὶ σεαυτὸν ἔκλυσαι τῶν κακῶν.* 5)

Sunt haec, quae in Crantoris libello de luctu fuisse partim constat, partim suspicari licet. 6) Qua vero ele-

---

1) Plut. l. l. p. 115. F. Cf. p. 113. C.

2) Ibid. p. 111. E.

3) Ibid. p. 113. A.

4) Ibid. p. 118. B. Cf. v. Rysewyk l. l. p. 70 et 73.

5) Ibid. p. 112. B. Cff. quos laudat Wyttenb. ad h. l. et Schneider l. l. p. 846.

6) Exstat apud Sextum Empiricum *adv. Math.* l. XI. Sect. 51 satis amplum Crantoris fragmentum, quod, monente Fabricio ad h. l. p. 701, ex eius libro de luctu desumtum esse contendit Van Rysewyk l. l. p. 86. sqq. Prorsus tamen nescio, quomodo illa de bonis disputatio in opere consolatorio esse potuerit. Inducuntur enim ibi singula bo-

gantia singula haec consolandi argumenta exposuerit et explicuerit, divinari magis, quam cognosci potest. Plurimis autem poetarum locis usus videtur, quo dictis suis majorem vim et auctoritatem conciliaret. Conjicere enim id licet, quia uterque, qui eum secutus est, et Cicero in Tusculanis disputationibus et Plutarchus in consolatione ad Apollonium, multus est in afferendis poetarum sententiis, et Plutarchus Homeri potissimum et Euripidis versibus usus est, quorum lectione in primis Crantorem fuisse delectatum, memorarunt antiqui. 1)

§ 5.

Scriptor Axiochi.

In scriptis consolatoriis haud exiguum locum tenet dialogus, inscriptus Ἀξίοχος ἢ περὶ θανάτου, de cuius

---

divitiae, voluptas, sanitas et virtus ad coetum Graecorum verba facientia, ita ut sua quaeque vice commoda sua propenat, quibus singulis applaudunt Graeci; tandem vero, ubi virtus dicendi finem fecit, Graeci primas partes tradunt virtuti, alteras sanitati, voluptati tertias, ultimo vero loco ponunt divitias. Quid, quaeso, in hisce consolatorium est? At fuit fortasse, dicat quispiam, quod non retulit Empiricus. Mirum tum omnino foret, neque Ciceronem, neque Plutarchum, qui studiose Crantoris librum de luctu secuti sunt, quidquam hac de re dicere. Melior idcirco mihi videtur Fabricii sententia, hoc fragmentum referentis ad eius ὑπομνήματα, quae ad triginta millia versuum eum scripsisse docet Diog. Laërtius IV. 24. Fabric. *Bibl. Gr.* II. p. 56.

1) Diog. Laërt. IV. 26. ἐθαύμαζε δὲ ὁ Κράντωρ πάντων δὴ μᾶλλον Ὅμηρον καὶ Εὐριπίδην, λέγων ἐργῶδες ἐν τῷ κυρίῳ τραγικῶς ἅμα καὶ συμπαθῶς γράψαι. — Loca in consolatione ad Apollonium, quibus versus poetarum affert Plutarchus, enumeravit Schneiderus l. l. p. 848, et Homerum locis septemdecim, Euripidem viginti locis laudatum invenit, Aeschylum contra quinquies

scriptore magna inter viros doctos dissensio est. Alii enim, ut Ficinus, Xenocrati Chalcedonio, alii Platoni hunc dialogum tribuerunt, alii rursus Axiochum existimarunt ab Aeschine Socratico esse scriptum, quoniam Laërtius, Athenaeus et Harpocration tale opus ab eo exaratum esse diserte tradunt. Horum vero opinioni obstare dixerunt alii, quod verba et sententiae, quae a Polluce et Athenaeo afferuntur, in Axiocho, qui hodie exstat, non inveniantur. [1]) Neque tantum variae fuerunt virorum doctorum de libelli huius scriptore, sed etiam de ipso dialogo sententiae, ut Casaubonus eum ab *antiquissimo et facundissimo scriptore* profectum affirmaret, [2]) Meinersius contra in Axiocho nihil boni, nihil mediocre inesse, ac *portentosum eiusmodi scriptum a barbaro tantum, vel semibarbaro homine exarari potuisse* contenderet. [3]) Nos quidem hanc litem, a tantis viris agitatam, dirimere non audemus, sed exstitisse miramur, qui hunc dialogum a sophista quodam posterioris aetatis confectum existiment; quorum sententiae calculum adjicere minime possumus. Quomodo enim, quaeso, sophista Prodicum irrideret deque eo Socratem dicentem faceret: πρoῖκα

---

tantummodo commemoratum, Achaeum et Epicharmum semel, Hesiodum bis et Pindarum sexies: unde haud absurde concludit, pleraque Homeri et Euripidis loca Plutarchum Crantori debuisse, quibus quippe hic potissimum delectaretur.

1) De variis virorum doctorum de Axiocho sententiis vid. Fischeri *Epist. ad Gernhardum* in Edit. III. Aeschinis a Fischero curata p. 193. sqq. Cf. Welcker *Prodikus vom Keos* p. 612.

2) Casaubonus *ad Antonin.* 9. p. 413, quem laudat Fischerus *Epist. ad Gernh.* p. 196.

3) Meiners *Judicium de quibusdam Socraticorum reliquiis* in eadem Fischeri edit. p. 39. sqq.

γὰρ ἀνὴρ οὗτος οὐδένα διδάσκει· διὰ παντὸς δὲ ἔθος ἐστὶν αὐτῷ φωνεῖν τὸ Ἐπιχάρμειον, Ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι καὶ λάβε τι. Ac deinde nonne iterum irridetur Prodicus, ubi huius verbis a Socrate prolatis, Axiochus nihil pompam illam verborum efficere dicit, sed exclamat: *οὐκ ἐπαΐει ὁ νοῦς ἀποπλανώμενος εἰς εὐεπείας λόγων, οὐδὲ ἅπτεται ταῦτα τῆς ὁμοχροίας· ἀλλ' εἰς μὲν πομπὴν καὶ ῥημάτων ἀγλαϊσμὸν ἀνύτει, τῆς δὲ ἀληθείας ἀπυδεῖ· τὰ δὲ παθήματα σοφισμάτων οὐκ ἀνέχεται, μόνοις δὲ ἀρκεῖται τοῖς δυναμένοις καθικέσθαι τῆς ψυχῆς.* Socratica id plane ratione et ironia facit, quod rite attendit Geelius V. Cl., cuius haec sunt verba: *in Axiocho omnia, quae ad sophistas, in primis ad Prodicum pertinent, sunt mere Platonica, ibi Socrates quidem de Prodici laude detrahit, sed furtim, jocose, adeo ut laudari ab eo putes, quem revera ludit ac contemnit.*[1]) Sed satis jam de scriptore, ipsum adeamus librum.

Socrati in hoc dialogo obviam fit Clinias, Axiochi filius, qui ipsi narrat, patrem subito correptum esse morbo et vitae periculo versari, ipsiusque animum ita metu perturbatum esse docet, ut, quum antea minime mortem timeret, nunc aegerrime ferat, se mox ex hac vita decessurum. Adhortatur simul et obsecrat Socratem, ut patrem adeat, et qua polleat prudentia ac sapientia, ipsum consoletur eiusque animum erigat. Uterque ad Axiochi domum accedit, illumque deprehendit corpore quidem robustum sed animo aegrum, lacrimantem, gementem, sibique metuentem, quod brevi luce et bonis

---

1) Cl. Geel *Hist. crit. Sophist.* in *Act. Soc. Rheno-Traj.* Vol. II. p. 130. not. et p. 141. sq. Mirum est, Wyttenbachium quoque censuisse, hunc dialogum ex sophistae cuiusdam officina prodiisse. *Disp. de an. immort.* p. 569.

destitutus, ac putrefactus in vermes permutandus sit. Qua animi perturbatione ut eum liberet Socrates, in memoriam ipsi revocat pristinos ipsius de virtute sermones, vitaeque cum peregrinatione comparationem, laeto animo et carminibus finienda; tum vero eius verba secum pugnare demonstrat, quod modo sensuum privationem lugeat, quum luce ac bonis se destitutum iri deploret, modo sensibus se privari neget, quum putrefactionem ac vermes metuat [1]). Distinguendum porro docet corpus et animum, quum corpus, quippe terrenum, morte evanescat et omni privetur sensu, animus vero, quippe coelestis originis, immortalis sit, nostro vero malo in praesidio mortali, tanquam carcere, a natura inclusus, cuius parvae admodum sunt voluptates, summis permixtae doloribus, *οἷς ἀναγκαστιῶς, ἅτε παρεσπαρμένη τοῖς πόροις, ἡ ψυχὴ ξυναλγοῦσα τὸν οὐράνιον ποθεῖ καὶ ξύμφυλον αἰθέρα, καὶ διψᾷ, τῆς ἐκεῖσε διαίτης καὶ χορείας ὀριγνωμένη· ὥστε ἡ τοῦ ζῆν ἀπαλλαγὴ κακοῦ τινός ἐστιν εἰς ἀγαθὸν μεταβολή.* Cui egregiae sententiae Socrates quo majorem conciliet auctoritatem, sive potius, ut ex more suo,

---

1) *Axiochus* c. 4. Locum hunc non intellexit, vel intelligere noluit Meinersius l. l. p. 41, ubi Epicuri quasdam voces Socratem hic proferre dicit, quippe contendentem, mortem propterea non esse pertimescendam, quod hominem in eandem tranquillitatem reponat, in qua jacuerit ante, quam nasceretur, eumque omni tam doloris quam voluptatis sensu privet. Non animadvertit ille, unice hic Socratem de corpore non de animo loqui, ut inanem esse Axiocho putrefactionis vermiumque metum demonstraret, quum post mortem nullus in corpore sensus sit. Quod luce clarius mox ostendit, ubi *τοῦτο ἐννόει*, ait, *ὅτι, τῆς ξυγκρίσεως ἅπαξ διαλυθείσης, καὶ τῆς ψυχῆς εἰς τὸν οἰκεῖον ἱδρυθείσης τόπον, τὸ ὑπολειφθὲν σῶμα, γεῶδες ὂν καὶ ἄλογον, οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος. Ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχή, ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ.*

nihil se scire, sed omnia ex aliis accepisse, profiteretur, Prodici affert sermones de variis vitae humanae calamitatibus. Puerum enim, simulac natus sit, plorare, quasi aegre se natum ferat, mox eum cruciari frigore, aestu, penuria; septem vero annos natum paedagogis et magistris tradi, qui tyrannorum instar ipsum premant; adolescenti porro adstare criticorum, geometrarum, censorum agmen et senatum Areopagi, qui, quominus se liberius gerat, eum impediunt. Mox, virili sumta toga, vitae genus esse eligendum, ac deinde militandum et vulnera accipienda atque infinitos labores exantlandos. Denique accedere senectutem, clanculum obrepentem, quae mala, quibus ceterae a se invicem differunt aetates, in se continet omnia, quaeque, *κἂν μή τις θᾶττον, ὡς χρέος, ἀποδιδῷ τὸ ζῆν, ὡς ὀβολοστάτις ἐπιστᾶσα ἐνεχυράζει, τοῦτο μὲν ὄψιν, τοῦτο δὲ ἀκοὴν, πολλάκις δὲ ἄμφω· κἂν ἐπιμείνῃ τις, παρέλυσεν, ἐλωβήσατο, παρήρθρωσεν* 1). Deos ipsos porro exemplo cum Cleobidis et

1) Wyttenb. *Dissert. de auctore libri de puerorum educ.* in *Opusc.* I. p. 478, scriptorem Axiochi cap. 7, 8 et 9, ubi de vitae calamitatibus agit, secutum esse Teletem existimat, cuius verba apud Stobaeum tit. 98, 72 leguntur. Pari vero jure quaeri possit, Telesne Axiochi scriptorem secutus sit. Si enim imitatoris est, res, quas imitetur, verbis ornare, Teletem diceres Aeschinis imitatorem, quippe cuius oratio multo ornatior sententiaeque magis concinnae sint. — Acerbe autem ac nullo jure Meinersius l. l. p. 40. in Aeschinem invehitur, quod haec Socratem dicentem fecit, quippe *quem nihil minus deceret, quam sophistarum instar vitam deplorare.* Non enim de sua persona sed ex Prodici sententia haec profert. Similiter Phaedrum, Phaedonem, Gorgiam, alios dialogos Platoni abjudicares, quia in illo quidem Socrates adversus amorem disputans inducitur, quod ab eius consuetudine perquam alienum fuit, in his vero fabulas de animi post mortem conditione profert, quas in lib. III. Polit. in poetis quam maxime reprehendit.

Bitonis, tum Agamedis et Trophonii satis ostendisse, vitam esse malum, mortem vero bonum, idemque visum poetis, qui diserte tradunt, Deorum amicos in adolescentia mori, ne vitae malis nimis cruciarentur. Neque varias tantum vitae aetates hisce miseriis esse obnoxias, verum singula quoque studia sua habere mala ac pericula, quod aperte in opificibus, nautis, agricolis et reipublicae administratoribus cernimus. Affert deinceps Socrates alium Prodici sermonem, quo mortem neque ad viventes neque ad defunctos pertinere dixerat: *ὥστε*, sic ait, *οὔτε περί σε νῦν ἐστιν· οὐ γὰρ τέθνηκας· οὔτε, εἴ τι πάθοις, ἔσται περί σε· σὺ γὰρ οὐκ ἔσει. Μάταιος οὖν ἡ λύπη περὶ τοῦ μήτε ὄντος, μήτε ἐσομένου. — Τὸ γὰρ φοβερὸν τοῖς οὖσιν ἐστι· τοῖς δὲ οὐκ οὖσι πῶς ἂν εἴη* [1]); His vero minime adstipulatur Axiochus, sed inania esse verba respondet, se autem etiamnunc metu angi atque aegre ferre, quod brevi bonis suis privandus sit. Itaque Socrates, ut perturbatum eius animum erigat, ad subliniora eum educit, animum humanum non morti obnoxium, sed immortalem esse docens. Hominem enim tot tantaque perficere, domare feras, navigare per mare, aedificare urbes et circuitus astrorum perspicere, eorumque ortum et occasum aliaque observare non potuisse, nisi ipsi inesset spiritus quidam divinus, quo tantam rerum peritiam sibi compararet. Morientem igitur non ad mortem, sed ad immortalitatem transire, omnia habiturum bona, quibus in vita gaudere non posset, quippe corporis cupiditatibus ac miseriis pollutus. *Κεῖσε γὰρ ἀφίξει*, ita Axiochum alloquitur,

---

1) *Axiochus* c. 14. Eadem quoque ratione Epicurus philosophatus est, ut infra videbimus.

μονωθεὶς ἐκ τῆςδε τῆς εἱρκτῆς, ἔνθα ἄπονα πάντα, καὶ ἀστένακτα, καὶ ἀγήρατα· γαληνὸς δέ τις, καὶ κακῶν ἄγονος βίος, ἀσαλεύτῳ ἡσυχίᾳ εὐδιαζόμενος, καὶ περιαθρῶν τὴν φύσιν, καὶ φιλοσοφῶν, οὐ πρὸς ὄχλον καὶ θέατρον, ἀλλὰ πρὸς ἀμφιθαλῆ τὴν ἀλήθειαν [1]). Explicat haec deinceps Socrates narratione Gobriae de animorum post mortem conditione. Animos enim post mortem deduci in campum veritatis, ubi Minos et Rhadamanthus sedeant, qui judicum munere funguntur, in cuiusque hominis vitam inquirentes, bene an male egerint, dum in vivis essent. Eos autem, qui impia ac scelesta commiserunt, a Furiis ad Erebum trahi, ubi sedes est impiorum, Tantali, Tityi, Danaidum, ibique a serpentibus lambi et Furiarum facibus combustos aeternis affici cruciatibus. Quibus vero bonus genius in vita aspiravit, quique juste et sancte vitam degerunt, in sedes beatorum collocari, ubi omnia, quae sperari possint, jucunda inveniuntur, temperatus aer, fontes aquae purae, prata mirâ florum varietate decora, disputationes porro et colloquia cum sapientibus, theatra poetarum, verbo vita suavissima, omnium molestiarum ac malorum expers. Quae cum Socrates exposuerat, Axiochus plane se recreatum sentit, ac tantum abest, ut mortem metuat, ut contra mori cupiat, vitamque contemnat.

Ex hac Socratis de animi immortalitate disquisitione facile Platonis studiosum agnoscis, qui divini huius philosophi placitis ad consolandos miseros utitur. Quo minus est mirandum, exstitisse, qui ipsum Platonem huius dialogi auctorem arbitrarentur, quamquam libelli dictio a Platonica suavitate atque elegantia toto, quod aiunt,

---

1) *Axiochus* c. 17.

coelo distat. Quodsi vero ipsam libelli rationem et argumenta spectas, quibus aegrotantem Axiochum Socrates a metu mortis avocat et consolatur, nonnulla ex Crantoris de luctu libro desumta reperies; quocirca Wyttenbachio assentiri non dubitamus, qui huius dialogi scriptorem post Crantorem vixisse eumque secutum esse censet. [1])

§. 6.

Cyrenaici, *Hegesias*, *Epicurus*, *Metrodorus*.

Licet minime haec sit nostra in hoc argumento tractando ratio, ut quam singulae philosophorum sectae in loco de consolatione posuerint operam, exponamus, quum id prae librorum penuria fieri haud possit, neque singulae scholae propriam suam consolandi methodum habuerint; dicenda tamen hic quaedam videntur de Cyrenaicis, quos peculiare quid de hoc loco praecepisse, testatur Cicero. Et vero, si in eorum philosophiam inquisiverimus, talis omnino ea nobis videbitur, quae hunc praecipue locum explicare atque in illo velut habitare debuerit. Nam quum voluptatem unice bonum ac plurimum ad vitam beatam facientem, dolorem vero malum haberent, quocum nemo beatus esse posset; illud praecipue ipsis erat spectandum, ut omni luctu ac dolore se ipsos aliosque liberarent. Paucissima tamen de eorum philosophandi ratione memorarunt antiqui, ac nisi Cicero in Tusculanis eorum mentionem fecisset, nesciremus plane, quaenam ipsorum in consolando fuisset sententia. Is

1) Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699.

autem Cyrenaicos censuisse monet, non omni malo aegritudinem effici, sed unice insperato et necopinato malo, [1]) atque ita satis habuisse in consolando ostendere, nihil inopinati accidisse. [2]) Quum enim vitam viderent multis obnoxiam malis, praemeditari docebant ipsas calamitates, ut ne postea inopinato accedentes, perturbarent animum ac dolore afficerent. Efficiebant autem hinc, mala opinionis esse, non naturae. [3]) Nam si eandem calamitatem, qua afficimur, modo malum dicimus, quia necopinato accidit, modo malum esse negamus, quippe eam praemeditati, dilucide hinc Cyrenaicis patere videbatur in opinione tantum, non vero in natura posita esse mala. Cumque universe magis voluptatum, quam doloris haberent rationem, huius vim per illas diminuendam censebant. Ipsam autem vitam nullius pretii habebant, mortemque aeque ac vitam expetendam, qua de re Cicero insigne nobis servavit exemplum, narrans, Theodorum, quum ei Lysimachus rex crucem minaretur, dixisse: „istis, quaeso, ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nil interest, humine an sublime putrescat." [4]) Itaque quum sic de morte cogitarent, in consolationibus eam neque malum, neque bonum, neque ideo lugendam statuisse videntur; utrum vero iidem animum quoque, ut Epicurus, cum corpore exstingui, an vero immortalem censuerint, prae antiquorum hac de re silentio affirmari nequit. [5])

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 13 et 22. Idem placuisse Carneadi, auctor est Plut. *περὶ εὐθυμίας* p. 474 F.

2) Cic. Ibid. III. 31.

3) Ibid. III. 15.

4) Ibid. I. 43.

5) Vid. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 632 sq.

In Cyrenaicis primarium quendam locum tenet *Hegesias*, quamquam ille in nonnullis placitis paululum ab iis recedebat. Quum enim Aristippus ceterique Cyrenaici magis de voluptatibus quam de doloribus agerent, quippe quae vitam beatam solae continerent; Hegesias magis dolorem removendum, quam assequendam voluptatem docebat. [1]) Quae quum esset viri sententia, mortem laudibus efferre longeque praeferendam vitae proponere solebat, quippe quae efficacissime omnem tolleret dolorem. Idemque tam copiose tantaque eloquentia de vitae malis disputasse dicitur, ut miseranda eorum imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraret. [2]) Hinc autem nomen πεισιθανάτου nactus, sed ob eandem caussam, quominus ea in scholis doceret, a rege Ptolemaeo prohibitus est. Scripsit vero, ut testatur Cicero, librum nomine Ἀποκαρτερῶν, in quo a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda. [3]) Liber autem a nullo

---

1) Brucker *Hist. crit. phil.* Vol. I. p. 600. — De aetate Hegesiae non constat. Vossius *de hist. Gr.* I. 12. Platonis eum aequalem facit, quem errasse docet Menagius ad *Diog. Laërt.* II. 26. Bouhierius autem ad *Cic. Tusc. Q.* I. 34. (in Ed. Moseri) eius aetatem incidisse putat in postremos Ptolemaei Lagidae annos, aut in tempora Philadelphi. Minus recte tamen ille Hegesiam philosophum eundem atque oratorem habet, quem errorem refutavit Ruhnkenius *Hist. crit. orat. Gr.* in *Opusc.* I. p. 382. De eo scripsit J. J. Rambach *de Hegesia πεισιθανάτῳ*. Quedlinb. 1771. 4. quod tamen scriptum inspicere mihi non licuit.

2) Verba sunt Valerii Maximi VII. 9, 3. Cf. Plut. περὶ φιλοστ. pag. 497 D.

3) Cic. *Tusc. Q.* I. 34. Pro vulgata lectione *quod a vita*, de conjectura Bentleii restituimus *in quo a vita*, quam probat Moserus ad h. l.

alio memoratur; sed constat ex Ciceronis, quae attulimus, verbis, fuisse dialogum, inque eo quendam ita de vita eiusque miseriis disseruisse, ut, quod idem porro docet, vivere nemini expedire contenderet. Quod vero ille dialogi scriptor inediâ sibi mortem consciscere vult, inde satis probabiliter effici potest, eundem de morte addidisse quaedam, quibus eam omnino expetendam doceret, atque hominibus commendaret. Quid vero ille de animi post mortem conditione statuerit, ut de ceteris Cyrenaicis, non liquet; placuisse vero hanc eius philosophandi rationem permultis constat, qui Hegesiacos sese nominantes, magistri placita constanter secuti sunt. [1])

Cyrenaicis subjiciamus *Epicurum*, cuius doctrinam magna ex parte cum illorum placitis convenisse novimus. Recessit tamen ab iisdem cum in aliis, tum in sententia de praemeditandis malis. Nam quum illi, ut vidimus, tantum inopinata in malis haberent, ideoque praevidendas esse calamitates docerent, ut ne repentino adventu ferirent vehementius; Epicurus, contrariam sententiam amplexus, necesse dicebat, ut omnes in aegritudine essent, quicumque se in malis esse arbitrarentur, sive illa ante provisa et exspectata essent, sive inveterassent; [2]) et opinionem mali, aegritudinem esse natura arbitrabatur, ut quicumque intueretur in aliquod majus malum, si id sibi accidisse opinaretur, continuo esset in aegritudine. [3]) Quum vero omnem philosophiae finem poneret in doloris vacuitate animique tranquillitate, [4]) hoc praecipue

1) Diog. Laërt. II. 85.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 15.

3) Cic. Ibid. III. 13.

4) Vid. hac de re in primis Meyboom *Comment. de perfecto sapiente* p. 92. sqq. in Ann. Acad. Lugd-Bat. 1836 — 1837.

munus consolanti imposuit, ut moerentis animum tum a malis avocaret, tum ad contemplanda bona adhortaretur.[1]) Haec enim ipsius erat sententia: bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse eum non oportere,[2]) atque ita praeteritorum bonorum memoria et praesentium cogitatione, vim malorum confutare ac minuere studuit. Praeterea ita de dolore ratiocinabatur, ut necesse esse diceret, summum dolorem simul esse brevem, unde laetitiae plus, quam molestiae habeat diuturnus dolor, quum eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur.[3]) De morte autem sic cogitabat, ut eam nihil ad nos pertinere doceret, quippe quae omnem auferret sensum; *ὁ θάνατος*, sic ajebat, *οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ δὲ ἀναίσθητον οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.*[4]) Eadem quoque ille consolandi ratione usus est,

---

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 31. Injuste autem Cicero ibi Epicurum unice corporeas voluptates spectasse dixit, qua de re vidd. Diog. Laërt. X. 137. Aul. Gell. *Noct. Att.* IX. 5. ibique interpretes.

2) Cic. *de Finn.* II. 32.

3) Cic. *Tusc. Q.* II. 19. Cf. Diog. Laert. X. 140 ubi: *οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκὶ, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι.* Cf. hac de re Gassendus *de phil. Epicuri*, II. p. 276.

4) Stob. *Flor.* tit. 118, 30. Ed. Gaisf. — Hunc syllogismum non procedere, docet Muretus *Var. Lect.* l. XI. cap. 16. (Ed. Ruhnk. Vol. II. p. 267) cuius haec sunt verba: *Illius artis (dialectices) ignoratione ruebat in dicendo, saepeque aliquod probare aggressus, ea sumebat, quibus datis ac concessis, id tamen, quod probare instituerat, non concluderetur. Quale est, quod, cum docere vellet, mortem nihil ad nos pertinere, ita ratiocinabatur: ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναίσθητον οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Neque enim sequitur, si id, quod dissolutum est, sensu vacat, idcirco ipsam quoque dissolutionem non sentiri. Neque mors est* τὸ δια-

qua Socratem, ex Prodici sententia, in Axiocho demonstrasse vidimus, mortem neque ad viventes neque ad mortuos pertinere. *Μάταιος*, ait, *ὁ λέγων δεδιέναι τὸν θάνατον, οὐχ ὅτι λυπήσει παρὼν, ἀλλ' ὅτι λυπεῖ μέλλων. Ὃ γὰρ παρὸν, οὐχ ἐνοχλεῖ· προςδοκώμενον, κενῶς λυπεῖ. Τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν, ὁ θάνατος, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· ἐπειδήπερ, ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμεν. Οὔτε οὖν πρὸς τοὺς ζῶντας ἐστὶν, οὔτε πρὸς τοὺς τετελευτηκότας· ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἐστίν· οἱ δὲ οὐκέτι εἰσίν.* 1) Hisce autem, quae diximus, argumentis usus videtur Epicurus in epistolis consolatoriis, quas de morte Hegesianactis ad patrem Dositheum fratremque Pyrsonem scripsisse a Plutarcho dicitur. 2) Idem eum in his quoque epistolis Stoicorum *ἀπαθείαν* impugnasse monet, quippe quae ex majore malo originem ducat, crudelitate nimirum aut immoderata arrogantia et rabie, atque haec usurpasse verba: *τὴν εἰς τὸ ἀπαθὲς καθε-*

λυθὲν, ἀλλ' αὐτὴ ἡ διάλυσις. *Meritoque Plutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, imperfecte atque praepostere atque inscite syllogismo usum esse eum dixerat: non quod praetermisisset illud* λῆμμα, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις· *quo addito, nihilo magis efficietur, quod ipse voluit; sed quod stupiditate quadam et crassitudine ingenii, non pervidisset, quantum inter id, quod dissolutum est, et ipsam dissolutionem interesset.* Cf. Bayle *Dict. hist. et crit.* v. *Lucrece* Vol. II. p. 215 sq. Aul. Gellius II. 8 ibique interpp.

1) Diog. Laërt. X. 125.

2) Plut. *Non posse suaviter vivi sec. Epic.* p. 1101. Menagius has epistolas et librum περὶ ὁσιότητος ἢ Ἡγησιάναξ, quem memorant Diog. Laërt. X. 27 et Cic. *de Nat. Deorum* I. 41, idem fuisse opus contendit. Quod si verum est, Epicurus in illo libro egregia quaedam de pietate erga Deos deque providentia praecepit, ut Cicero monet l. l.

στῶσαν ἀλυπίαν ὑφ' ἑτέρου κακοῦ μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος ἢ δοξοκοπίας ἀκράτου καὶ λύσσης· διὸ πάσχειν τι βέλτιον εἶναι, καὶ λυπεῖσθαι, καὶ, νὴ Δία, λιπαίνειν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τήκεσθαι. Quae viri sententia adversatur quam maxime iis, quae de sapiente monuit, quem cruciatum, verberatum, tamen non dolere, immo vero, si in Phalaridis tauro esset, exclamaturum esse dicebat, *quam suave est hoc! quam hoc non curo!* 1) Sed animadvertendum est, eum hic de sapiente loqui, qui ratione sua vincere dolorem et memoria perceptarum voluptatum eius vim frangere debebat, ibi vero consolantis officium obire, ubi talia verba nihil ad animum moerentis sedandum valerent.

Misso autem Epicuro, de quo nihil amplius, quoad nostrum argumentum, memoriae est proditum, de eius discipulo *Metrodoro* nobis est agendum, quem epistolam ad sororem scripsisse novimus, qua eam de morte filii optimae indolis consolatus est. Fecit autem illud ita, ut ostenderet mortale esse omne mortalium bonum, atque ita bonis his, ad quae concurritur, minime esse confidendum, quippe quae uno die omnia simus amissuri. 2) Quae quum essent ipsius in hac epistola verba, non dubitamus ad eandem referre, quae eius nomine legimus apud Stobaeum: *ἑτοιμάζονταί τινες διὰ βίου τὰ πρὸς τον βίον, βιωσόμενοι μετὰ τὸ λεγόμενον ζῆν, οὐ συνορῶντες ὡς πᾶσιν ἡμῖν θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.* 3) — *Πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι· χάριν δὲ θανάτου, πάντες ἄνθρωποι*

---

1) Cic. *Tusc. Q.* II. 7, V. 26. Diog. Laërt. X. 177.

2) Seneca *Epist.* 98. §. 9.

3) Stob. *Flor.* tit. 16, 20 Ed. Gaisf.

πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν.[1]) Cumque ita ostendisset, e rerum natura necesse esse, ut quae habeamus, amittamus postea, ut adeo tandem mors nobis sit obeunda, docuisse deinde videtur sororem, ut eam de immaturo filii obitu consolaretur, vitam beatam non ab eius diuturnitate pendere, sed a bonis, quibus in vita gaudeamus: *οὐ μακαριεῖς τὸν γέροντα, καθ' ὅσον γηράσκων τελευτᾷ, ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται· ἕνεκα γὰρ χρόνου πάντες ἐσμὲν ἄδωροι.*[2]) Neque oblitus est Metrodorus in illa epistola praecepti, quod tradiderat Epicurus, minuendam esse aegritudinem, tam avocatione a cogitanda molestia, quam revocatione ad contemplandas voluptates. Haec enim eius sententia a Seneca laudatur: *μιχθεῖσα ἡδονὴ ἀηδείᾳ τις γάρ ἐστι, σοι μὲν ζητητέη κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν*, qua intellexit procul dubio memoriam eorum, quos amiseris, eorumque sermonum ac pietatis recordationem.[3]) Quid autem praeterea ad consolandam sororem attulerit, ignoramus hodie, quum epistola illa ab uno tantum Seneca laudetur; suspicari vero licet, multa eum et praeclara his addidisse, quum felicitatem statueret, magis a nobis ipsis, quam a fortuna pendere,[4]) eiusdemque hoc

---

1) Stob. *Flor.* tit. 118, 33.

2) Stob. Ibid. tit. 116, 42.

3) Seneca *Epist.* 99 §. 22. Graeca verba displicuerunt interpretibus, qui aliquid excidisse putant, propterea quod illam sententiam deinde impugnat Seneca, licet paullo superius § 18 eandem collaudasset, dicens: *inest quiddam dulce tristitiae, quum occurrunt sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur.*

4) Vid. Clem. Alex. 2 Strom. p. 417, qui eius librum laudat *Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν, τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων.*

de fortuna dictum memoretur ab antiquis: *Occupavi te, fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* 1)

§ 7.

Diogenes, Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, Posidonius, Galenus.

Veniat Diogenes Cynicus, qui librum περὶ θανάτου scripsit, si vere ei tribuuntur scripta, quae a Laërtio recensentur. 2) Liber autem hic, ut caetera eius scripta, periit totus, ut adeo ne conjectura effici possit, quae eius fuerit ratio. Neque etiam, quae huius philosophi fuerit de morte doctrina, animumne mortalem dixerit, an post mortem exstare et vivere censuerit, constat. Quod enim eius refertur dictum, *nil sua interesse, utrum sepeliretur, an a feris laniaretur, quippe nihil sentiri a mortuo*, et responsum, quod interroganti, mors essetne malum, dedit: *quomodo malum est, cuius praesentis nullus est sensus?* 3) de corpore aeque ac de animo accipi possunt. Quocirca, ut ne conjiciendo nimis a vero aberremus, hoc misso, ad alios properemus.

De Stoicis igitur videamus, quos magnopere hunc philosophiae locum, qui est de auferendis doloribus, explicuisse novimus. Cum enim huius sectae parens Zeno

---

1) Cic. *Tusc. Q.* V. 9. Graece haec leguntur apud Plut. περὶ εὐθυμίας p. 476. C.

2) Diog. Laërt. VI. 80. Cf. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 618.

3) Diog. Laërt. VI. 68. et Cic. *Tusc. Q.* I. 43, quos laudat Wyttenbachius l. l.

dicere soleret: οὐδενὸς ἡμᾶς οὕτω πένεσθαι, ὡς χρόνου· βραχὺς γὰρ ὄντως ὁ βίος, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, καὶ μᾶλλον ἡ τὰς τῆς ψυχῆς νόσους ἰάσασθαι δυναμένη, [1]) dilucide hinc apparet, multam eos et sedandis doloribus et auferendis animi aegritudinibus operam dedisse. Spectabat autem huc tota eorum philosophia. Sapientem enim ea proponebat saxo duriorem, qui nulla re commoveretur, nulla tangeretur affectione, nullum omnino sentiret dolorem, verbo requirebat, ut esset ἀπαθής. [2]) Hinc autem factum, ut peculiari prorsus ratione instituerent consolationem, neque, ut caeteri, mitigare ac sedare dolores, sed prorsus auferre et radicitus evellere conarentur. Primus autem ex iis in censum venit *Cleanthes*, qui hoc praecipue consolanti munus injunxit, ut doceret illud, quod moerenti accidisset, malum omnino non esse. [3]) Quod ut probaret, ex communi Stoicorum doctrina, nullum esse malum dicebat, nisi quod esset turpe, adeoque mortem caeterasque vitae calamitates, quae a fato immittantur homini, minime in malis esse habendas. Haec autem consolandi ratio jure displicuit Ciceroni, qui eum irridens, dicebat: *Cleanthes sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi.* [4]) Idem praeterea Cleanthem reprehendit, quod non satis vidisset, suscipi etiam aliquando aegritudinem posse ex ipsa turpitudine, atque ita nihili esse ipsius consolationem, quum ostendere amplius non posset, illud

1) Stob. *Flor.* tit. 98, 68 Ed. Gaisf.
2) Vid. de his Meyboom *Comm. de perf. sap.* p. 125 sqq.
3) Cic. *Tusc. Q.* III. 31.
4) Cic. Ibid. III. 32.

[illegible] natum, [illegible] in malis [illegible] autem suam, [illegible] con- [illegible] 1) [illegible] Nam quum [illegible] per aliquot [illegible] se habe- ret, alimenta [illegible] recu- savit, [illegible]: Σὺ δὲ [illegible] atque ita constanter cibos recusans, brevi [illegible] diem obiit. 2)

Chrysippus, Cleanthis discipulus, plura eaque meliora, quam magister, de consolatione praecepit. Scripsit enim magnum opus περὶ παθῶν, quod quatuor constabat libris, quorum tribus prioribus, nomine λογικῶν ὑπομνημάτων, de origine ac natura perturbationum egisse videtur, quarto autem, quem θεραπευτικὸν appellavit, de ratione, qua animi perturbationes sint moderandae ac sedandae. Praeter hunc librum, laudatur etiam eiusdem ἠθικὸν περὶ παθῶν, quod tamen idem ac θεραπευτικὸν fuisse opus, ac promiscue utroque nomine dictum videtur. 3) Egregie autem eum in hoc libro de medendis

1) *Stob. Flor.* tit. 108, 59.

2) *Stob. Ibid.* tit. 7, 54.

3) *Dubitat Baguet Comm. de Chrysippo* p. 305, utrum duo hi libri *et separati fuerint*, an unum tantum opus, duobus nominibus insignitum. *Sed pluribus locis aperte* dicit Galenus, utrumque nomen eidem libro *fuisse e. g. De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. Tom. I. p. 275, Basil. (Vol. V. p. 364, Ed. Kuhn.) ubi: τὸ θεραπευτικὸν, ὃ δὴ καὶ ἠθικὸν ἐπιγράφουσί τινες· tum l. V. p. 287 Basil. (p. 443 Ed. Kuhn.) ὅπερ ἀληθῶς ὑπέσχετο κατὰ τὸ θεραπευτικὸν καὶ ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον βιβλίον. Praeterea quatuor tantum libri περὶ παθῶν memorantur, quorum tres logici, quartus vero curatorius dicebatur; si

ac sedandis aegritudinibus meruisse, patet ex verbis Galeni, qui ceteroquin, pluribus locis, in eum invehitur, ubi dicit: *Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος ἔγραψε παρὰ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν ἓν μὲν τὸ θεραπευτικὸν βιβλίον, οὗ μάλιστα χρήζομεν εἰς τὴν ἴασιν αὐτῶν,* 1) quamquam Cicero contrarium indicare videtur, qui Chrysippum et Stoicos, magnam partem, in partiendis et definiendis animi perturbationibus occupatos esse, sed perexiguam eorum orationem dixerit, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. 2) Ac primum quidem Chrysippus, in libro illo, quod amplius fecerat in tribus prioribus *περὶ παθῶν*, originem et naturam perturbationum exploravit, quae opinione constare ipsi videbantur, ideoque aegritudinem dixit esse opinionem ac judicium magni praesentis et urgentis mali, 3) quae efficeret, ut qui in aegritudine esset, non sui esset compos, sed plane alius

---

igitur *τὸ ἠθικὸν* alius esset atque *τὸ θεραπευτικὸν*, quinque forent libri, quod nusquam dicitur. Locus vero apud eundem l. V. p. 295 Basil. (p. 493 Ed. Kuhn.), ubi dicit: *τὰ περὶ παθῶν συγγράμματα, τά τε τρία τὰ λογικὰ καὶ τὰ χωρὶς αἰτιῶν* (fort. *αὐτῶν*) *ἰδίᾳ γεγραμμένα ὑπ' αὐτοῦ, τὸ θεραπευτικόν τε καὶ ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον*, contrarium quidem indicare videtur, revera tamen non indicat. Non enim dicit, *τὰ συγγράμματα*, verum *τὰ γεγραμμένα*, ita ut, subintellecta praepositione *κατά*, hic oriatur sensus: *tum libri logici tres, tum quae ab eo, separatim ab his, scripta sunt in libro curatorio et morali dicto.*

1) Galenus *De locis affectis* l. III. Tom. III. p. 270. Basil. Cf. Idem *De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. Tom. I. p. 284 Basil. (p. 420 Ed. Kuhn) et *De cogn. et cur. an. morb.* p. 352 Basil. (Vol. V. p. 3 Ed. Kuhn.)

2) Cic. *Tusc. Q.* IV. 5.

3) Cic. Ibid. III. 25. Cf. Galenus *De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. p. 283 Basil. (p. 416 Ed. Kuhn). Baguet *de Chrysippo* p. 286, 306 seqq. et Adr. Bertling *Dissert. de Stoicorum sententia circa affectus.* Gron. 1769, p. 12 sqq.

factus, quippe aspernatus rationem. Hinc autem peculiari ratione eos tractandos iisque medendum arbitrabatur: *διὸ*, sic ait, *καὶ ἐπὶ τῶνδε τῶν ἐμπαθῶν ὡς περὶ ἐξεστηκότων ἔχομεν, καὶ ὡς παρηλλαχότας ποιούμεθα τὸν λόγον, καὶ οὐ παρ' ἑαυτοῖς οὐδ' ἐν ἑαυτοῖς ὄντας.* [1]) Aegritudinem enim propterea *λύπην* appellatam esse censebat, quasi esset *λύσις* sive solutio totius hominis, quae tota posset evelli, explicata caussa aegritudinis. Itaque hoc docebat omnis consolationis esse caput, ut detraheretur illa opinio moerenti: [2]) addebat vero, caute id admodum esse faciendum, neque e. g. ad recentes dolores adhibendum esse remedium, quia ratione dolorum nimis exigua foret medicina. [3]) Praeterea id in primis consolanti agendum ducebat, ut quae essent moerenti placita deque summo bono opiniones, exploraret, ad quas ipsa accommodanda esset consolatio, si vim salutarem in eius animo habitura esset. Quod quo melius intelligatur, afferre lubet locum Origenis, ubi haec de Chrysippo dicit: *ἀλλὰ φιλανθρωπότερον, οἶμαι, Κέλσου Χρύσιππον πεποιηκέναι ἐν τῷ περὶ παθῶν θεραπευτικῷ, βουλόμενον θεραπεῦσαι τὰ πάθη, ὡς κατεπείγοντα καὶ ἐνοχλοῦντα τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν, προηγουμένως μὲν τοῖς δοκοῦσιν αὐτῷ ὑγίεσι λόγοις, δευτέρως δὲ καὶ τρίτως κἂν τοῖς μὴ ἀρεσκοῦσι τῶν δογμάτων· κἂν γὰρ τρία, φησὶν, ἢ γένη τῶν ἀγαθῶν, καὶ οὕτω θεραπευτέον τὰ πάθη· οὐ περιεργαζόμενον ἐν τῷ καιρῷ τῆς φλεγμονῆς τῶν παθῶν τὸ προκαταλαβὸν δόγμα*

---

1) Galenus Ibid. p. 282 Basil. (p. 409 Ed. Kuhn).

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 25, 31. Mirum est, Doct. Baguet, qui caetera docte et critice persecutus est, loca Ciceronis, ubi de Chrysippi consolandi ratione loquitur, non ad *θεραπευτικὸν* huius philosophi, sed ad tres priores libros *περὶ παθῶν* referre, p. 300 sqq.

3) Cic. Ibid. IV. 29.

τὸν ὑπὸ τοῦ πάθους ἐνοχλούμενον· μή πως τῇ ἀκαίρῳ περὶ τὴν ἀνατροπὴν τῶν προκαταλαβόντων τὴν ψυχὴν δογμάτων σχολὴν (fort. σχολῇ) ἡ ἐγχωροῦσα θεραπεία παραπόληται· φησὶ δὲ ὅτι, κἂν ἡδονὴ ᾖ τὸ ἀγαθὸν καὶ τοῦτο φρονῇ ὁ ὑπὸ τοῦ πάθους κρατούμενος· οὐδὲν ἧττον αὐτῷ βοηθητέον, καὶ παραδεικτέον, ὅτι καὶ τοῖς ἡδονὴν τἀγαθὸν καὶ τέλος τιθεμένοις, ἀνομολογούμενόν ἐστι πᾶν πάθος.[1]) Hanc autem consolationem Cicero ad veritatem quidem firmissimam, ad tempus vero aegritudinis, difficilem judicavit, quum magnum sit opus, probare moerenti, illum suo judicio, et quod se ita putet oportere facere, moerere.[2]) Tempus autem Chrysippus optimum putabat ad auferendum dolorem remedium, διότι πᾶν τὸ ἀμέτρητον, καὶ ξένον, ἀθρόως προσπίπτον, ἐκπτοεῖ τε καὶ τῶν παλαιῶν ἐξίστησι κρίσεων· ἀσκηθὲν δὲ καὶ συνεθισθὲν, καὶ χρονίσαν, ἢ οὐδ' ὅλως ἐξίστησιν ὡς κατὰ πάθος κινεῖν, ἢ ἐπὶ μικρὸν κομιδῇ.[3]) Hinc Euripideum illud laudabat:

Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάσκει, κακόν.[4])

Quumque ipsi, ut Cyrenaicis, videretur malum, quod ante provisum non esset, eo ferire vehementius,[5]) prae-

---

1) Origenes *contra Celsum* l. VIII. p. 411. Cf. lib. I. p. 50 et Baguet l. l. p. 315.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 33.

3) Galenus l. l. lib. IV. p. 283 Basil. (p. 417 Ed. Kuhn.). Pro vulgata *ἐκπίπτει τε,* quae nullum idoneum sensum praebet, restitui *ἐμπτοεῖ τε*, de conjectura Cl. Bakii *Disp. de Posidonio* p. 203.

4) Eurip. *Alcesta* vs. 1095. Ed. Matthiae. Galenus vero, Chrysippi afferens verba, versum ita laudat:

μακρὸς χρόνος μαλάξει· νῦν δὲ θ' ἡβάσκει κακόν.

5) Cic. *Tusc. Q.* III. 22.

meditari mala docebat, quae si venissent, fortiter esse perferenda, quum mutari fatum nequeat, atque exemplis virorum, qui aequo animo dolorem tulerunt, et recordatione verborum, quae et Anaxagoras in morte filii dixerat, et Theseus apud Euripidem profert, eius vim minuendam censebat. [1] Hoc denique Chrysippus etiam in consolando usus est argumento; ea lege nos esse natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, quocirca hos Euripidis laudabat versus, quibus Amphiaraus alloquitur Eurydicem, mortui Archemori matrem: [2])

Ἔφυ μὲν οὐδεὶς, ὅστις οὐ πονεῖ, βροτῶν,
Θάπτει τε τέκνα χ' ἅτερ' αὖ κτᾶται νέα,
Αὐτός τε θνήσκει. Καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν,
Καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μή.

Neque exigua fuit opera, quam in loco de leniendis doloribus posuerunt *Panaetius* et *Posidonius*, lumina illa Stoicae sectae. Quorum ille *περὶ εὐθυμίας* librum conscripsit, quo de aequo in rebus adversis servando animo, data opera, egit. Verba enim eius Plutarchus laudat haec: *δεῖ δὲ, ὥς που καὶ Παναίτιος ἔφη, χρῆσθαι τῷ Ἀναξαγόρᾳ, καὶ καθάπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν· Ἤδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα· τοῦτο τοῖς παροξύνουσιν ἕκαστον ἐπιφωνεῖν ἁμαρτήμασιν· Ἤδειν ὅτι σοφὸν οὐκ ἐπριάμην δοῦλον· ᾔδειν ὅτι ἀπαθῆ*

1) Galenus l. l. lib. IV. p. 283 fin. Basil. (p. 418. Ed. Kuhn.)
2) Eurip. in *Hypsipyla* Fragm. ed. Matth. p. 193. Eosdem versus laudant Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 110 F. et Cic. *Tusc. Q.* III. 25.

τὸν φίλον οὐκ ἐκτησάμην· ᾔδειν ὅτι τὴν γυναῖκα, γυναῖκα εἶχον. 1) Quam sententiam, etiamsi non addatur, in quo Panaetii libro fuerit, tamen ad eius scriptum de animi tranquillitate referendam esse, plus quam probabile est, quum Diogenes Laërtius, Panaetium in libro, de quo nunc agimus, Anaxagorae illud dictum usurpasse diserte moneat. 2) Alterum eius consolatorium scriptum memoratur, epistola ad Q. Tuberonem de dolore patiendo, de qua ita Cicero: *Panaetius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nunquam posuit, non esse malum dolorem; sed quid esset et quale quantumque in eo inesset alieni, deinde quae ratio esset perferendi.* 3) Quod quum ita sit, minime dubitamus, quin, in hac epistola, Panaetius mentionem quoque fecerit Crantoris libri de luctu, indeque nonnulla desumserit, quum, teste Cicerone, hunc libellum ad verbum ediscendum Tuberoni praeceperit. 4) Qua vero ratione consolationem instituerit, quidve ad minuendum dolorem monuerit, certo dici nequit; constat vero, eum improbasse caeterorum Stoicorum *ἀπάθειαν* et *ἀναλγησίαν*, 5) ideoque humanioribus quibusdam, quam reliquos, argumentis in consolando usum fuisse. Animum autem mortalem habebat, quod probaturus, quidquid natum

---

1) Plut. *περὶ ἀοργησίας* p. 463 D. et p. 474 E. Cf. Van Lynden *Disp. de Panaetio* p. 115.

2) Diog. Laërt. IX. 20.

3) Cic. *de Finn.* IV. 9. Hic locus fugit Lyndenum, qui p. 116 Fabricium reprehendit, quod huius epistolae titulum fecisset *de dolore patiendo.*

4) Cic. *Acad.* II. 44. Cf. *Tusc. Q.* IV. 2.

5) Aul. Gell. *Noct. Att.* XII. 2.

sit, interire dicebat, nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo, qui procreantur, quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus, appareat. Huic alteram addebat rationem: nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos, ergo etiam interire. [1]) Hinc fortasse solatium petebat in metu mortis, ostendens, nullum in morte adesse sensum, perque eam hominem a vitae miseriis liberari.

Posidonius quoque huic philosophiae loco haud defuit. Is enim, ut supra animadvertimus, in distributione philosophiae, consolationi suum in ethica locum dedit, atque hac de perturbationibus disputatione potissimum quaestionem de virtutibus, deque fine bonorum contineri dicebat. *Νομίζω γὰρ*, ait, *καὶ τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, καὶ τὴν περὶ τελῶν, καὶ τὴν περὶ ἀρετῶν, ἐκ τῆς περὶ παθῶν ὀρθῶς διασκέψεως ἠρτῆσθαι.* [2]) Scripsit autem opus *περὶ παθῶν*, cuius partem sedandis ac minuendis doloribus, ut Chrysippus, consecrasse videtur; atque huc pertinet fortasse, quod Hieronymus ait: *Legimus Crantorem, cuius volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero; Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Posidonii ad sedandos luctus opuscula percurrimus, qui diversis aetatibus, diversorum luctum, vel libris vel epistolis, minuere sunt conati.* [3]) Neque enim ex hoc uno loco, ut verbis utar Cl. Bakii,

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 32. Cff. Wyttenb. *Disp. de an. imm.* p. 623 et Van Lynden l. l. p. 70.

2) Galenus *De Hipp. et Plat. decr.* l. V. p. 291 Basil. (p. 469, Ed. Kuhn) Cf. Cl. Bakius *Disp. de Posidonio* p. 197 et 222 sqq.

3) Hieronymus in *Epitaph. Nepot.* T. I. p. 22.

recte quis affirmet, Posidonium vel peculiare volumen composuisse de sedando luctu, vel consolationem ad aliquem scripsisse. [1]) Liber autem eius *περὶ παθῶν*, exceptis quibusdam fragmentis, quae Galenus servavit, interiit totus. Refutavit autem in eo Chrysippi sententiam, qua aegritudinem ex opinione vel ex animi infirmitate oriri dixerat, meliusque illo quaestionem explicuit, quare tempore sedari soleant dolores. Reversus enim ad antiquorum philosophorum de animo doctrinam, Platonis maxime et Aristotelis, tres animae statuebat esse partes, *τὸ ἐπιθυμητικὸν, τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ λογιστικὸν*, ex quibus et perturbationum originem repetendam et explicandam illam quaestionem ducebat: *τὸ τοίνυν παθητικὸν τῆς ψυχῆς*, ait, *ἐν τῷ χρόνῳ τοῦτο μὲν ἐμπίπλαται τῶν οἰκειῶν ἐπιθυμιῶν, τοῦτο δὲ κάμνει ταῖς πολυχρονίαις κινήσεσιν, ὥστε διὰ ἄμφω καθησυχάσαντος αὐτοῦ, καὶ μέτρια κινουμένου, κρατεῖν ὁ λογισμὸς ἤδη δύναται· ὥσπερ καὶ ἵππου τινὸς ἐκφόρου τὸν ἐπιβάτην ἐξενέγκοντος βιαίως, εἶτα κάμνοντός τε ἅμα τῷ δρόμῳ καὶ πρόσετι καὶ ἐμπλησθέντος, ὧν ἐπεθύμησεν, αὖθι ὁ ἡνίοχος ἐγκρατὴς καταστᾶίη.* [2]) Mitiora autem quaedam, quam caeteri Stoici, docebat, neque virtutem sibi ipsam sufficere, sed usum quoque esse corporis bonorum et externorum contendit. [3]) Quas vero ad sedandos dolores adhibuerit rationes, ignoramus plane, sed in his quoque praecipue Platonem secutus videtur, cuius *θεραπείας τῶν παθῶν* eum admodum comprobasse a Galeno docemur. [4])

1) Cl. Bakius l. l. p. 247.

2) Galenus l. l. p. 292 Basil. (p. 475 Ed. Kuhn) Cf. de hoc loco Cl. Bakius l. l. p. 228.

3) Diog. Laërt. VII. 128.

4) Galenus l. l. p. 289 Basil. (p. 458 Ed. Kuhn).

Quodsi bene augurari licet de doctrina alicuius, qui factis suis eam confirmavit, optime Posidonium in hoc loco versatum fuisse fatendum est, qui, quum Pompejus Rhodum venisset ad eximium illum philosophum audiendum, quamvis illius artus vehementer laborarent, tamen graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubans disputavit, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixit: «Nihil agis, dolor, quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.» [1])

In philosophis, qui de consolatione egerunt, memorandus etiam est Galenus, medicorum ille omnium post Hippocratem princeps, idemque *γνησίου φιλοσόφου* nomine ab Imperatore Antonino salutatus. [2]) Scripsit autem, ut ipse fatetur, opus *περὶ παραμυθίας*, quod tamen, ut alia bene multa, ad nostram non pervenit aetatem. [3]) Si vero ex titulo de ipso libro judicare liceat, Galenus, in hoc opere, totum argumentum nostrum complexus est, ac fortasse de variis philosophorum in consolandis miseris placitis egit, eaque suo submisit judicio. Quod si reputamus, quam accurate veteres philosophos perlegerit, et quo ingenii acumine et Chrysippi et Posidonii de animi affectibus sententiam dijudicaverit, haud exigua sane nobis est dolendi caussa, quod illius operis ne ullum

---

1) Cic. *Tusc. Q.* II. 25.

2) Vid. Kuhn in *Historia litt. Claudii Galeni*, praemissa editioni suae, p. 23.

3) Galenus *de suis libris* cap. 13. Vol. I. p. 47 E. Eiusdem vero liber *περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν*, ad nostrum argumentum non pertinet, quippe quo non de philosopha, sed medica perturbationum curatione egerit.

quidem fragmentum servatum sit. Ne tamen frustra lugeamus, sed potius, ex Epicuri praecepto consolatorio, a malis nos ad bona abducamus, et misso Galeno, ad Plutarchum properemus, cuius bene multis consolationibus hodieque gaudemus.

§ 8.

P l u t a r c h u s.

Plutarchus, nobilis ille Chaeronensis philosophus, etsi, quoad aetatem, ultimus fere Graecorum fuerit, inter primarios tamen summo jure habetur. Sive enim historicam fidem et philosopham in res gestas virorumque mores inquisitionem quaeris, adsunt eae in ipsius de vitis Graecorum Romanorumque parallelis opere: sive magnum ingenium spectas, disserendi subtilitatem, acutum de variis philosophorum placitis judicium, conspicuae hae dotes sunt in operibus eius moralibus: sive denique elegantem quaeris sermonem, in omnibus eius libris, tam philosophis, quam historicis, admiraris orationem summa perspicuitate, simplicitate et vero varietate et elegantia decoram. Magnus insuper his accedit laudis cumulus, quod non de rebus obscuris agendo gloriam sibi comparare, aut popularem captare auram studuerit; sed in communem omnium utilitatem scripta sua condiderit. Etenim, ut summi Wyttenbachii utar verbis, *ubique id egit Plutarchus, ut quid utile vel secus, quid fugiendum vel sequendum, doceret; ut de ratione vitae, de studio virtutum, de moderanda republica dissereret; denique ut philosophiam commendaret, non*

de fortuna dictum memoretur ab antiquis: *Occupavi te, fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* [1])

§ 7.

Diogenes, Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, Posidonius, Galenus.

Veniat Diogenes Cynicus, qui librum περὶ θανάτου scripsit, si vere ei tribuuntur scripta, quae a Laërtio recensentur. [2]) Liber autem hic, ut caetera eius scripta, periit totus, ut adeo ne conjectura effici possit, quae eius fuerit ratio. Neque etiam, quae huius philosophi fuerit de morte doctrina, animumne mortalem dixerit, an post mortem exstare et vivere censuerit, constat. Quod enim eius refertur dictum, *nil sua interesse, utrum sepeliretur, an a feris laniaretur, quippe nihil sentiri a mortuo*, et responsum, quod interroganti, mors essetne malum, dedit: *quomodo malum est, cuius praesentis nullus est sensus?* [3]) de corpore aeque ac de animo accipi possunt. Quocirca, ut ne conjiciendo nimis a vero aberremus, hoc misso, ad alios properemus.

De Stoicis igitur videamus, quos magnopere hunc philosophiae locum, qui est de auferendis doloribus, explicuisse novimus. Cum enim huius sectae parens Zeno

---

1) Cic. *Tusc. Q.* V. 9. Graece haec leguntur apud Plut. περὶ εὐθυμίας p. 476. C.

2) Diog. Laërt. VI. 80. Cf. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 618.

3) Diog. Laërt. VI. 68. et Cic. *Tusc. Q.* I. 43, quos laudat Wyttenbachius l. l.

dicere soleret: *οὐδενὸς ἡμᾶς οὕτω πένεσθαι, ὡς χρόνου· βραχὺς γὰρ ὄντως ὁ βίος, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, καὶ μᾶλλον ἡ τὰς τῆς ψυχῆς νόσους ἰάσασθαι δυναμένη*,[1]) dilucide hinc apparet, multam eos et sedandis doloribus et auferendis animi aegritudinibus operam dedisse. Spectabat autem huc tota eorum philosophia. Sapientem enim ea proponebat saxo duriorem, qui nulla re commoveretur, nulla tangeretur affectione, nullum omnino sentiret dolorem, verbo requirebat, ut esset *ἀπαθής*.[2]) Hinc autem factum, ut peculiari prorsus ratione instituerent consolationem, neque, ut caeteri, mitigare ac sedare dolores, sed prorsus auferre et radicitus evellere conarentur. Primus autem ex iis in censum venit *Cleanthes*, qui hoc praecipue consolanti munus injunxit, ut doceret illud, quod moerenti accidisset, malum omnino non esse.[3]) Quod ut probaret, ex communi Stoicorum doctrina, nullum esse malum dicebat, nisi quod esset turpe, adeoque mortem caeterasque vitae calamitates, quae a fato immittantur homini, minime in malis esse habendas. Haec autem consolandi ratio jure displicuit Ciceroni, qui eum irridens, dicebat: *Cleanthes sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi.*[4]) Idem praeterea Cleanthem reprehendit, quod non satis vidisset, suscipi etiam aliquando aegritudinem posse ex ipsa turpitudine, atque ita nihili esse ipsius consolationem, quum ostendere amplius non posset, illud

1) Stob. *Flor.* tit. 98, 68 Ed. Gaisf.
2) Vid. de his Meyboom *Comm. de perf. sap.* p. 125 sqq.
3) Cic. *Tusc. Q.* III. 31.
4) Cic. Ibid. III. 32.

coelo distat. Quodsi vero ipsam libelli rationem et argumenta spectas, quibus aegrotantem Axiochum Socrates a metu mortis avocat et consolatur, nonnulla ex Crantoris de luctu libro desumta reperies; quocirca Wyttenbachio assentiri non dubitamus, qui huius dialogi scriptorem post Crantorem vixisse eumque secutum esse censet. [1])

§. 6.

Cyrenaici, *Hegesias*, *Epicurus*, *Metrodorus*.

Licet minime haec sit nostra in hoc argumento tractando ratio, ut quam singulae philosophorum sectae in loco de consolatione posuerint operam, exponamus, quum id prae librorum penuria fieri haud possit, neque singulae scholae propriam suam consolandi methodum habuerint; dicenda tamen hic quaedam videntur de Cyrenaicis, quos peculiare quid de hoc loco praecepisse, testatur Cicero. Et vero, si in eorum philosophiam inquisiverimus, talis omnino ea nobis videbitur, quae hunc praecipue locum explicare atque in illo velut habitare debuerit. Nam quum voluptatem unice bonum ac plurimum ad vitam beatam facientem, dolorem vero malum haberent, quocum nemo beatus esse posset; illud praecipue ipsis erat spectandum, ut omni luctu ac dolore se ipsos aliosque liberarent. Paucissima tamen de eorum philosophandi ratione memorarunt antiqui, ac nisi Cicero in Tusculanis eorum mentionem fecisset, nesciremus plane, quaenam ipsorum in consolando fuisset sententia. Is

---

1) Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 699.

autem Cyrenaicos censuisse monet, non omni malo aegritudinem effici, sed unice insperato et necopinato malo, [1]) atque ita satis habuisse in consolando ostendere, nihil inopinati accidisse. [2]) Quum enim vitam viderent multis obnoxiam malis, praemeditari docebant ipsas calamitates, ut ne postea inopinato accedentes, perturbarent animum ac dolore afficerent. Efficiebant autem hinc, mala opinionis esse, non naturae. [3]) Nam si eandem calamitatem, qua afficimur, modo malum dicimus, quia necopinato accidit, modo malum esse negamus, quippe eam praemeditati, dilucide hinc Cyrenaicis patere videbatur in opinione tantum, non vero in natura posita esse mala. Cumque universe magis voluptatum, quam doloris haberent rationem, huius vim per illas diminuendam censebant. Ipsam autem vitam nullius pretii habebant, mortemque aeque ac vitam expetendam, qua de re Cicero insigne nobis servavit exemplum, narrans, Theodorum, quum ei Lysimachus rex crucem minaretur, dixisse: „istis, quaeso, ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nil interest, humine an sublime putrescat." [4]) Itaque quum sic de morte cogitarent, in consolationibus eam neque malum, neque bonum, neque ideo lugendam statuisse videntur; utrum vero iidem animum quoque, ut Epicurus, cum corpore exstingui, an vero immortalem censuerint, prae antiquorum hac de re silentio affirmari nequit. [5])

---

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 13 et 22. Idem placuisse Carneadi, auctor est Plut. *περὶ εὐθυμίας* p. 474 F.

2) Cic. Ibid. III. 31.

3) Ibid. III. 15.

4) Ibid. I. 43.

5) Vid. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 632 sq.

In Cyrenaicis primarium quendam locum tenet *Hegesias*, quamquam ille in nonnullis placitis paululum ab iis recedebat. Quum enim Aristippus ceterique Cyrenaici magis de voluptatibus quam de doloribus agerent, quippe quae vitam beatam solae continerent; Hegesias magis dolorem removendum, quam assequendam voluptatem docebat. [1]) Quae quum esset viri sententia, mortem laudibus efferre longeque praeferendam vitae proponere solebat, quippe quae efficacissime omnem tolleret dolorem. Idemque tam copiose tantaque eloquentia de vitae malis disputasse dicitur, ut miseranda eorum imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariae mortis oppetendae cupiditatem ingeneraret. [2]) Hinc autem nomen πεισιθανάτου nactus, sed ob eandem caussam, quominus ea in scholis doceret, a rege Ptolemaeo prohibitus est. Scripsit vero, ut testatur Cicero, librum nomine Ἀποκαρτερῶν, in quo a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda. [3]) Liber autem a nullo

---

1) Brucker *Hist. crit. phil.* Vol. I. p. 600. — De aetate Hegesiae non constat. Vossius *de hist. Gr.* I. 12. Platonis eum aequalem facit, quem errasse docet Menagius ad *Diog. Laërt.* II. 26. Bouhierius autem ad *Cic. Tusc. Q.* I. 34. (in Ed. Moseri) eius aetatem incidisse putat in postremos Ptolemaei Lagidae annos, aut in tempora Philadelphi. Minus recte tamen ille Hegesiam philosophum eundem atque oratorem habet, quem errorem refutavit Ruhnkenius *Hist. crit. orat. Gr.* in *Opusc.* I. p. 382. De eo scripsit J. J. Rambach *de Hegesia* πεισιθανάτῳ. Quedlinb. 1771. 4. quod tamen scriptum inspicere mihi non licuit.

2) Verba sunt Valerii Maximi VII. 9, 3. Cf. Plut. περὶ φιλοστ. pag. 497 D.

3) Cic. *Tusc. Q.* I. 34. Pro vulgata lectione *quod a vita*, de conjectura Bentleii restituimus *in quo a vita*, quam probat Moserus ad h. l.

alio memoratur; sed constat ex Ciceronis, quae attulimus, verbis, fuisse dialogum, inque eo quendam ita de vita eiusque miseriis disseruisse, ut, quod idem porro docet, vivere nemini expedire contenderet. Quod vero ille dialogi scriptor inediâ sibi mortem consciscere vult, inde satis probabiliter effici potest, eundem de morte addidisse quaedam, quibus eam omnino expetendam doceret, atque hominibus commendaret. Quid vero ille de animi post mortem conditione statuerit, ut de ceteris Cyrenaicis, non liquet; placuisse vero hanc eius philosophandi rationem permultis constat, qui Hegesiacos sese nominantes, magistri placita constanter secuti sunt. [1])

Cyrenaicis subjiciamus *Epicurum*, cuius doctrinam magna ex parte cum illorum placitis convenisse novimus. Recessit tamen ab iisdem cum in aliis, tum in sententia de praemeditandis malis. Nam quum illi, ut vidimus, tantum inopinata in malis haberent, ideoque praevidendas esse calamitates docerent, ut ne repentino adventu ferirent vehementius; Epicurus, contrariam sententiam amplexus, necesse dicebat, ut omnes in aegritudine essent, quicumque se in malis esse arbitrarentur, sive illa ante provisa et exspectata essent, sive inveterassent; [2]) et opinionem mali, aegritudinem esse natura arbitrabatur, ut quicumque intueretur in aliquod majus malum, si id sibi accidisse opinaretur, continuo esset in aegritudine. [3]) Quum vero omnem philosophiae finem poneret in doloris vacuitate animique tranquillitate, [4]) hoc praecipue

1) Diog. Laërt. II. 85.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 15.

3) Cic. Ibid. III. 13.

4) Vid. hac de re in primis Meyboom *Comment. de perfecto sapiente* p. 92. sqq. in Ann. Acad. Lugd-Bat. 1836 — 1837.

munus consolanti imposuit, ut moerentis animum tum a malis avocaret, tum ad contemplanda bona adhortaretur. [1]) Haec enim ipsius erat sententia: bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse eum non oportere, [2]) atque ita praeteritorum bonorum memoria et praesentium cogitatione, vim malorum confutare ac minuere studuit. Praeterea ita de dolore ratiocinabatur, ut necesse esse diceret, summum dolorem simul esse brevem, unde laetitiae plus, quam molestiae habeat diuturnus dolor, quum eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. [3]) De morte autem sic cogitabat, ut eam nihil ad nos pertinere doceret, quippe quae omnem auferret sensum; *ὁ θάνατος*, sic ajebat, *οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ δὲ ἀναίσθητον οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.* [4]) Eadem quoque ille consolandi ratione usus est,

---

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 31. Injuste autem Cicero ibi Epicurum unice corporeas voluptates spectasse dixit, qua de re vidd. Diog. Laërt. X. 137. Aul. Gell. *Noct. Att.* IX. 5. ibique interpretes.

2) Cic. *de Finn.* II. 32.

3) Cic. *Tusc. Q.* II. 19. Cf. Diog. Laert. X. 140 ubi: *οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκὶ, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι.* Cf. hac de re Gassendus *de phil. Epicuri*, II. p. 276.

4) Stob. *Flor.* tit. 118, 30. Ed. Gaisf. — Hunc syllogismum non procedere, docet Muretus *Var. Lect.* l. XI. cap. 16. (Ed. Ruhnk. Vol. II. p. 267) cuius haec sunt verba: *Illius artis (dialectices) ignoratione ruebat in dicendo, saepeque aliquod probare aggressus, ea sumebat, quibus datis ac concessis, id tamen, quod probare instituerat, non concluderetur. Quale est, quod, cum docere vellet, mortem nihil ad nos pertinere, ita ratiocinabatur: ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναίσθητον οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Neque enim sequitur, si id, quod dissolutum est, sensu vacat, idcirco ipsam quoque dissolutionem non sentiri. Neque mors est τὸ δια-*

qua Socratem, ex Prodici sententia, in Axiocho demonstrasse vidimus, mortem neque ad viventes neque ad mortuos pertinere. *Μάταιος*, ait, *ὁ λέγων δεδιέναι τὸν θάνατον, οὐχ ὅτι λυπήσει παρὼν, ἀλλ' ὅτι λυπεῖ μέλλων. Ὃ γὰρ παρὸν, οὐχ ἐνοχλεῖ· προςδοκώμενον, κενῶς λυπεῖ. Τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν, ὁ θάνατος, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· ἐπειδήπερ, ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμεν. Οὔτε οὖν πρὸς τοὺς ζῶντας ἐστὶν, οὔτε πρὸς τοὺς τετελευτηκότας· ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἐστίν· οἱ δὲ οὐκέτι εἰσίν.* 1) Hisce autem, quae diximus, argumentis usus videtur Epicurus in epistolis consolatoriis, quas de morte Hegesianactis ad patrem Dositheum fratremque Pyrsonem scripsisse a Plutarcho dicitur. 2) Idem eum in his quoque epistolis Stoicorum *ἀπαθείαν* impugnasse monet, quippe quae ex majore malo originem ducat, crudelitate nimirum aut immoderata arrogantia et rabie, atque haec usurpasse verba: *τὴν εἰς τὸ ἀπαθὲς καθε-*

λυθὲν, ἀλλ' αὐτὴ ἡ διάλυσις. Meritoque Plutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, imperfecte atque praepostere atque inscite syllogismo usum esse eum dixerat: non quod praetermisisset illud λῆμμα, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις· quo addito, nihilo magis efficietur, quod ipse voluit; sed quod stupiditate quadam et crassitudine ingenii, non pervidisset, quantum inter id, quod dissolutum est, et ipsam dissolutionem interesset. Cf. Bayle *Dict. hist. et crit.* v. *Lucrece* Vol. II. p. 215 sq. Aul. Gellius II. 8 ibique interpp.

1) Diog. Laërt. X. 125.

2) Plut. *Non posse suaviter vivi sec. Epic.* p. 1101. Menagius has epistolas et librum *περὶ ὁσιότητος ἢ Ἡγησιάναξ*, quem memorant Diog. Laërt. X. 27 et Cic. *de Nat. Deorum* I. 41, idem fuisse opus contendit. Quod si verum est, Epicurus in illo libro egregia quaedam de pietate erga Deos deque providentia praecepit, ut Cicero monet l. l.

στῶσαν ἀλυπίαν ὑφ' ἑτέρου κακοῦ μείζονος ὑπάρχειν, ὠμότητος ἢ δοξοκοπίας ἀκράτου καὶ λύσσης· διὸ πάσχειν τι βέλτιον εἶναι, καὶ λυπεῖσθαι, καὶ, νὴ Δία, λιπαίνειν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τήκεσθαι. Quae viri sententia adversatur quam maxime iis, quae de sapiente monuit, quem cruciatum, verberatum, tamen non dolere, immo vero, si in Phalaridis tauro esset, exclamaturum esse dicebat, *quam suave est hoc! quam hoc non curo!* 1) Sed animadvertendum est, eum hic de sapiente loqui, qui ratione sua vincere dolorem et memoria perceptarum voluptatum eius vim frangere debebat, ibi vero consolantis officium obire, ubi talia verba nihil ad animum moerentis sedandum valerent.

Misso autem Epicuro, de quo nihil amplius, quoad nostrum argumentum, memoriae est proditum, de eius discipulo *Metrodoro* nobis est agendum, quem epistolam ad sororem scripsisse novimus, qua eam de morte filii optimae indolis consolatus est. Fecit autem illud ita, ut ostenderet mortale esse omne mortalium bonum, atque ita bonis his, ad quae concurritur, minime esse confidendum, quippe quae uno die omnia simus amissuri. 2) Quae quum essent ipsius in hac epistola verba, non dubitamus ad eandem referre, quae eius nomine legimus apud Stobaeum: *ἑτοιμάζονταί τινες διὰ βίου τὰ πρὸς τον βίον, βιωσόμενοι μετὰ τὸ λεγόμενον ζῆν, οὐ συνορῶντες ὡς πᾶσιν ἡμῖν θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.* 3) — *Πρὸς μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀσφάλειαν πορίσασθαι· χάριν δὲ θανάτου, πάντες ἄνθρωποι*

---

1) Cic. *Tusc. Q.* II. 7, V. 26. Diog. Laërt. X. 177.
2) Seneca *Epist.* 98. §. 9.
3) Stob. *Flor.* tit. 16, 20 Ed. Gaisf.

πόλιν ἀτείχιστον οἰκοῦμεν. [1]) Cumque ita ostendisset, e rerum natura necesse esse, ut quae habeamus, amittamus postea, ut adeo tandem mors nobis sit obeunda, docuisse deinde videtur sororem, ut eam de immaturo filii obitu consolaretur, vitam beatam non ab eius diuturnitate pendere, sed a bonis, quibus in vita gaudeamus: *οὐ μακαριεῖς τὸν γέροντα, καθ' ὅσον γηράσκων τελευτᾷ, ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται· ἕνεκα γὰρ χρόνου πάντες ἐσμὲν ἄδωροι.* [2]) Neque oblitus est Metrodorus in illa epistola praecepti, quod tradiderat Epicurus, minuendam esse aegritudinem, tam avocatione a cogitanda molestia, quam revocatione ad contemplandas voluptates. Haec enim eius sententia a Seneca laudatur: *μιχθεῖσα ἡδονὴ ἀηδείᾳ τις γάρ ἐστι, σοι μὲν ζητητέη κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν*, qua intellexit procul dubio memoriam eorum, quos amiseris, eorumque sermonum ac pietatis recordationem. [3]) Quid autem praeterea ad consolandam sororem attulerit, ignoramus hodie, quum epistola illa ab uno tantum Seneca laudetur; suspicari vero licet, multa eum et praeclara his addidisse, quum felicitatem statueret, magis a nobis ipsis, quam a fortuna pendere, [4]) eiusdemque hoc

---

1) Stob. *Flor.* tit. 118, 33.

2) Stob. Ibid. tit. 116, 42.

3) Seneca *Epist.* 99 §. 22. Graeca verba displicuerunt interpretibus, qui aliquid excidisse putant, propterea quod illam sententiam deinde impugnat Seneca, licet paullo superius § 18 eandem collaudasset, dicens: *inest quiddam dulce tristitiae, quum occurrunt sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur.*

4) Vid. Clem. Alex. 2 Strom. p. 417, qui eius librum laudat *Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν, τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων.*

de fortuna dictum memoretur ab antiquis: *Occupavi te, fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.* 1)

§ 7.

Diogenes, Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, Posidonius, Galenus.

Veniat Diogenes Cynicus, qui librum περὶ θανάτου scripsit, si vere ei tribuuntur scripta, quae a Laërtio recensentur. 2) Liber autem hic, ut caetera eius scripta, periit totus, ut adeo ne conjectura effici possit, quae eius fuerit ratio. Neque etiam, quae huius philosophi fuerit de morte doctrina, animumne mortalem dixerit, an post mortem exstare et vivere censuerit, constat. Quod enim eius refertur dictum, *nil sua interesse, utrum sepeliretur, an a feris laniaretur, quippe nihil sentiri a mortuo*, et responsum, quod interroganti, mors essetne malum, dedit: *quomodo malum est, cuius praesentis nullus est sensus?* 3) de corpore aeque ac de animo accipi possunt. Quocirca, ut ne conjiciendo nimis a vero aberremus, hoc misso, ad alios properemus.

De Stoicis igitur videamus, quos magnopere hunc philosophiae locum, qui est de auferendis doloribus, explicuisse novimus. Cum enim huius sectae parens Zeno

---

1) Cic. *Tusc. Q.* V. 9. Graece haec leguntur apud Plut. περὶ εὐθυμίας p. 476. C.

2) Diog. Laërt. VI. 80. Cf. Wyttenb. *Disp. de an. immort.* p. 618.

3) Diog. Laërt. VI. 68. et Cic. *Tusc. Q.* I. 43, quos laudat Wyttenbachius l. l.

dicere soleret: *οὐδενὸς ἡμᾶς οὕτω πένεσθαι, ὡς χρόνου· βραχὺς γὰρ ὄντως ὁ βίος, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, καὶ μᾶλλον ἡ τὰς τῆς ψυχῆς νόσους ἰάσασθαι δυναμένη*, [1]) dilucide hinc apparet, multam eos et sedandis doloribus et auferendis animi aegritudinibus operam dedisse. Spectabat autem huc tota eorum philosophia. Sapientem enim ea proponebat saxo duriorem, qui nulla re commoveretur, nulla tangeretur affectione, nullum omnino sentiret dolorem, verbo requirebat, ut esset *ἀπαθής*. [2]) Hinc autem factum, ut peculiari prorsus ratione instituerent consolationem, neque, ut caeteri, mitigare ac sedare dolores, sed prorsus auferre et radicitus evellere conarentur. Primus autem ex iis in censum venit *Cleanthes*, qui hoc praecipue consolanti munus injunxit, ut doceret illud, quod moerenti accidisset, malum omnino non esse. [3]) Quod ut probaret, ex communi Stoicorum doctrina, nullum esse malum dicebat, nisi quod esset turpe, adeoque mortem caeterasque vitae calamitates, quae a fato immittantur homini, minime in malis esse habendas. Haec autem consolandi ratio jure displicuit Ciceroni, qui eum irridens, dicebat: *Cleanthes sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi.* [4]) Idem praeterea Cleanthem reprehendit, quod non satis vidisset, suscipi etiam aliquando aegritudinem posse ex ipsa turpitudine, atque ita nihili esse ipsius consolationem, quum ostendere amplius non posset, illud

1) Stob. *Flor.* tit. 98, 68 Ed. Gaisf.
2) Vid. de his Meyboom *Comm. de perf. sap.* p. 125 sqq.
3) Cic. *Tusc. Q.* III. 31.
4) Cic. Ibid. III. 32.

non esse malum, quod ex eius sententia revera in malis esset habendum. Doctrinam autem suam, qua dolores constanter ferendos, et λύπην, quippe ψυχῆς παράλυσιν,[1] sedulo aufugiendam dicebat, re deinde moriens probavit. Nam quum propter linguae ulcus per aliquod tempus cibo abstinuisset, deinde vero, quum melius se haberet, alimenta ipsi porrigeret medicus, accipere ea recusavit, dicens: *Σὺ δέ με βούλει ἤδη τὸ πλέον τῆς ὁδοῦ κατανύσαντα ἀναστρέφειν, εἶτα πάλιν ἐξ ὑπαρχῆς τὴν αὐτὴν ἔρχεσθαι;* atque ita constanter cibos recusans, brevi supremum diem obiit.[2]

Chrysippus, Cleanthis discipulus, plura eaque meliora, quam magister, de consolatione praecepit. Scripsit enim magnum opus *περὶ παθῶν*, quod quatuor constabat libris, quorum tribus prioribus, nomine *λογικῶν ὑπομνημάτων*, de origine ac natura perturbationum egisse videtur, quarto autem, quem *θεραπευτικὸν* appellavit, de ratione, qua animi perturbationes sint moderandae ac sedandae. Praeter hunc librum, laudatur etiam eiusdem *ἠθικὸν περὶ παθῶν*, quod tamen idem ac *θεραπευτικὸν* fuisse opus, ac promiscue utroque nomine dictum videtur.[3] Egregie autem eum in hoc libro de medendis

1) Stob. *Flor.* tit. 108, 59.

2) Stob. Ibid. tit. 7, 54.

3) Dubitat Baguet *Comm. de Chrysippo* p. 305, utrum duo hi libri et separati fuerint, an unum tantum opus, duobus nominibus insignitum. Sed pluribus locis aperte dicit Galenus, utrumque nomen eidem libro fuisse e. g. *De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. Tom. I. p. 275, Basil. (Vol. V. p. 364, Ed. Kuhn.) ubi: *τὸ θεραπευτικὸν, ὃ δὴ καὶ ἠθικὸν ἐπιγράφουσί τινες·* tum l. V. p. 287 Basil. (p. 443 Ed. Kuhn.) *ὅπερ ἀληθῶς ὑπέσχετο κατὰ τὸ θεραπευτικὸν καὶ ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον βιβλίον.* Praeterea quatuor tantum libri *περὶ παθῶν* memorantur, quorum tres logici, quartus vero curatorius dicebatur; si

ac sedandis aegritudinibus meruisse, patet ex verbis Galeni, qui ceteroquin, pluribus locis, in eum invehitur, ubi dicit: *Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος ἔγραψε παρὰ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν ἓν μὲν τὸ θεραπευτικὸν βιβλίον, οὗ μάλιστα χρήζομεν εἰς τὴν ἴασιν αὐτῶν*, [1]) quamquam Cicero contrarium indicare videtur, qui Chrysippum et Stoicos, magnam partem, in partiendis et definiendis animi perturbationibus occupatos esse, sed perexiguam eorum orationem dixerit, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. [2]) Ac primum quidem Chrysippus, in libro illo, quod amplius fecerat in tribus prioribus *περὶ παθῶν*, originem et naturam perturbationum exploravit, quae opinione constare ipsi videbantur, ideoque aegritudinem dixit esse opinionem ac judicium magni praesentis et urgentis mali, [3]) quae efficeret, ut qui in aegritudine esset, non sui esset compos, sed plane alius

---

igitur *τὸ ἠθικὸν* alius esset atque *τὸ θεραπευτικὸν*, quinque forent libri, quod nusquam dicitur. Locus vero apud eundem l. V. p. 295 Basil. (p. 493 Ed. Kuhn.), ubi dicit: *τὰ περὶ παθῶν συγγράμματα, τά τε τρία τὰ λογικὰ καὶ τὰ χωρὶς αἰτιῶν* (fort. *αὐτῶν*) *ἰδίᾳ γεγραμμένα ὑπ' αὐτοῦ, τὸ θεραπευτικόν τε καὶ ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον*, contrarium quidem indicare videtur, revera tamen non indicat. Non enim dicit, *τὰ συγγράμματα*, verum *τὰ γεγραμμένα*, ita ut, subintellecta praepositione *κατά*, hic oriatur sensus: *tum libri logici tres, tum quae ab eo, separatim ab his, scripta sunt in libro curatorio et morali dicto.*

1) Galenus *De locis affectis* l. III. Tom. III. p. 270. Basil. Cf. Idem *De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. Tom. I. p. 284 Basil. (p. 420 Ed. Kuhn) et *De cogn. et cur. an. morb.* p. 352 Basil. (Vol. V. p. 3 Ed. Kuhn.)

2) Cic. *Tusc. Q.* IV. 5.

3) Cic. Ibid. III. 25. Cf. Galenus *De Hipp. et Plat. decr.* l. IV. p. 283 Basil. (p. 416 Ed. Kuhn). Baguet *de Chrysippo* p. 286, 306 seqq. et Adr. Bertling *Dissert. de Stoicorum sententia circa affectus.* Gron. 1769, p. 12 sqq.

factus, quippe aspernatus rationem. Hinc autem peculiari ratione eos tractandos iisque medendum arbitrabatur: *διὸ*, sic ait, *καὶ ἐπὶ τῶνδε τῶν ἐμπαθῶν ὡς περὶ ἐξεστηκότων ἔχομεν, καὶ. ὡς παρηλλαχότας ποιούμεθα τὸν λόγον, καὶ οὐ παρ' ἑαυτοῖς οὐδ' ἐν ἑαυτοῖς ὄντας.* [1]) Aegritudinem enim propterea *λύπην* appellatam esse censebat, quasi esset *λύσις* sive solutio totius hominis, quae tota posset evelli, explicata caussa aegritudinis. Itaque hoc docebat omnis consolationis esse caput, ut detraheretur illa opinio moerenti: [2]) addebat vero, caute id admodum esse faciendum, neque e. g. ad recentes dolores adhibendum esse remedium, quia ratione dolorum nimis exigua foret medicina. [3]) Praeterea id in primis consolanti agendum ducebat, ut quae essent moerenti placita deque summo bono opiniones, exploraret, ad quas ipsa accommodanda esset consolatio, si vim salutarem in eius animo habitura esset. Quod quo melius intelligatur, afferre lubet locum Origenis, ubi haec de Chrysippo dicit: *ἀλλὰ φιλανθρωπότερον, οἶμαι, Κέλσου Χρύσιππον πεποιηκέναι ἐν τῷ περὶ παθῶν θεραπευτικῷ, βουλόμενον θεραπεῦσαι τὰ πάθη, ὡς κατεπείγοντα καὶ ἐνοχλοῦντα τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν, προηγουμένως μὲν τοῖς δοκοῦσιν αὐτῷ ὑγίεσι λόγοις, δευτέρως δὲ καὶ τρίτως κἂν τοῖς μὴ ἀρεσκοῦσι τῶν δογμάτων· κἂν γὰρ τρία, φησὶν, ᾖ γένη τῶν ἀγαθῶν, καὶ οὕτω θεραπευτέον τὰ πάθη· οὐ περιεργαζόμενον ἐν τῷ καιρῷ τῆς φλεγμονῆς τῶν παθῶν τὸ προκαταλαβὸν δόγμα*

---

1) Galenus Ibid. p. 282 Basil. (p. 409 Ed. Kuhn).

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 25, 31. Mirum est, Doct. Baguet, qui caetera docte et critice persecutus est, loca Ciceronis, ubi de Chrysippi consolandi ratione loquitur, non ad *θεραπευτικὸν* huius philosophi, sed ad tres priores libros *περὶ παθῶν* referre, p. 300 sqq.

3) Cic. Ibid. IV. 29.

τὸν ὑπὸ τοῦ πάθους ἐνοχλούμενον· μή πως τῇ ἀκαίρῳ περὶ τὴν ἀνατροπὴν τῶν προκαταλαβόντων τὴν ψυχὴν δογμάτων σχολὴν (fort. σχολῇ) ἡ ἐγχωροῦσα θεραπεία παραπόληται· φησὶ δὲ ὅτι, κἂν ἡδονὴ ᾖ τὸ ἀγαθὸν καὶ τοῦτο φρονῇ ὁ ὑπὸ τοῦ πάθους κρατούμενος· οὐδὲν ἧττον αὐτῷ βοηθητέον, καὶ παραδεικτέον, ὅτι καὶ τοῖς ἡδονὴν τἀγαθὸν καὶ τέλος τιθεμένοις, ἀνομολογούμενόν ἐστι πᾶν πάθος. 1) Hanc autem consolationem Cicero ad veritatem quidem firmissimam, ad tempus vero aegritudinis, difficilem judicavit, quum magnum sit opus, probare moerenti, illum suo judicio, et quod se ita putet oportere facere, moerere. 2) Tempus autem Chrysippus optimum putabat ad auferendum dolorem remedium, διότι πᾶν τὸ ἀμέτρητον, καὶ ξένον, ἀθρόως προσπίπτον, ἐκπτοεῖ τε καὶ τῶν παλαιῶν ἐξίστησι κρίσεων· ἀσκηθὲν δὲ καὶ συνεθισθὲν, καὶ χρονίσαν, ἢ οὐδ' ὅλως ἐξίστησιν ὡς κατὰ πάθος κινεῖν, ἢ ἐπὶ μικρὸν κομιδῇ. 3) Hinc Euripideum illud laudabat:

Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάσκει, κακόν. 4)

Quumque ipsi, ut Cyrenaicis, videretur malum, quod ante provisum non esset, eo ferire vehementius, 5) prae-

---

1) Origenes *contra Celsum* l. VIII. p. 411. Cf. lib. I. p. 50 et Baguet l. l. p. 315.

2) Cic. *Tusc. Q.* III. 33.

3) Galenus l. l. lib. IV. p. 283 Basil. (p. 417 Ed. Kuhn.). Pro vulgata ἐκπίπτει τε, quae nullum idoneum sensum praebet, restitui ἐμπτοεῖ τε, de conjectura Cl. Bakii *Disp. de Posidonio* p. 203.

4) Eurip. *Alcesta* vs. 1095. Ed. Matthiae. Galenus vero, Chrysippi afferens verba, versum ita laudat:

μακρὸς χρόνος μαλάξει· νῦν δὲ θ' ἡβάσκει κακόν.

5) Cic. *Tusc. Q.* III. 22.

meditari mala docebat, quae si venissent, fortiter esse perferenda, quum mutari fatum nequeat, atque exemplis virorum, qui aequo animo dolorem tulerunt, et recordatione verborum, quae et Anaxagoras in morte filii dixerat, et Theseus apud Euripidem profert, eius vim minuendam censebat. [1]) Hoc denique Chrysippus etiam in consolando usus est argumento; ea lege nos esse natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, quocirca hos Euripidis laudabat versus, quibus Amphiaraus alloquitur Eurydicem, mortui Archemori matrem: [2])

Ἔφυ μὲν οὐδεὶς, ὅστις οὐ πονεῖ, βροτῶν,
Θάπτει τε τέκνα χ' ἅτερ' αὖ κτᾶται νέα,
Αὐτός τε θνήσκει. Καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν,
Καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μή.

Neque exigua fuit opera, quam in loco de leniendis doloribus posuerunt *Panaetius* et *Posidonius*, lumina illa Stoicae sectae. Quorum ille *περὶ εὐθυμίας* librum conscripsit, quo de aequo in rebus adversis servando animo, data opera, egit. Verba enim eius Plutarchus laudat haec: *δεῖ δὲ, ὥς που καὶ Παναίτιος ἔφη, χρῆσθαι τῷ Ἀναξαγόρᾳ, καὶ καθάπερ ἐκεῖνος ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ παιδὸς εἶπεν· Ἤδειν ὅτι θνητὸν ἐγέννησα· τοῦτο τοῖς παροξύνουσιν ἕκαστον ἐπιφωνεῖν ἁμαρτήμασιν· Ἤδειν ὅτι σοφὸν οὐκ ἐπριάμην δοῦλον· ἤδειν ὅτι ἀπαθῆ*

---

1) Galenus l. l. lib. IV. p. 283 fin. Basil. (p. 418. Ed. Kuhn.)

2) Eurip. in *Hypsipyla* Fragm. ed. Matth. p. 193. Eosdem versus laudant Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 110 F. et Cic. *Tusc. Q.* III. 25.

τὸν φίλον οὐκ ἐκτησάμην· ᾔδειν ὅτι τὴν γυναῖκα, γυναῖκα εἶχον. [1]) Quam sententiam, etiamsi non addatur, in quo Panaetii libro fuerit, tamen ad eius scriptum de animi tranquillitate referendam esse, plus quam probabile est, quum Diogenes Laërtius, Panaetium in libro, de quo nunc agimus, Anaxagorae illud dictum usurpasse diserte moneat. [2]) Alterum eius consolatorium scriptum memoratur, epistola ad Q. Tuberonem de dolore patiendo, de qua ita Cicero: *Panaetius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nunquam posuit, non esse malum dolorem; sed quid esset et quale quantumque in eo inesset alieni, deinde quae ratio esset perferendi.* [3]) Quod quum ita sit, minime dubitamus, quin, in hac epistola, Panaetius mentionem quoque fecerit Crantoris libri de luctu, indeque nonnulla desumserit, quum, teste Cicerone, hunc libellum ad verbum ediscendum Tuberoni praeceperit. [4]) Qua vero ratione consolationem instituerit, quidve ad minuendum dolorem monuerit, certo dici nequit; constat vero, eum improbasse caeterorum Stoicorum *ἀπάθειαν* et *ἀναλγησίαν*, [5]) ideoque humanioribus quibusdam, quam reliquos, argumentis in consolando usum fuisse. Animum autem mortalem habebat, quod probaturus, quidquid natum

---

1) Plut. *περὶ ἀοργησίας* p. 463 D. et p. 474 E. Cf. Van Lynden *Disp. de Panaetio* p. 115.

2) Diog. Laërt. IX. 20.

3) Cic. *de Finn.* IV. 9. Hic locus fugit Lyndenum, qui p. 116 Fabricium reprehendit, quod huius epistolae titulum fecisset *de dolore patiendo.*

4) Cic. *Acad.* II. 44. Cf. *Tusc. Q.* IV. 2.

5) Aul. Gell. *Noct. Att.* XII. 2.

sit, interire dicebat, nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo, qui procreantur, quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus, appareat. Huic alteram addebat rationem: nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos, ergo etiam interire.[1]) Hinc fortasse solatium petebat in metu mortis, ostendens, nullum in morte adesse sensum, perque eam hominem a vitae miseriis liberari.

Posidonius quoque huic philosophiae loco haud defuit. Is enim, ut supra animadvertimus, in distributione philosophiae, consolationi suum in ethica locum dedit, atque hac de perturbationibus disputatione potissimum quaestionem de virtutibus, deque fine bonorum contineri dicebat. *Νομίζω γὰρ*, ait, *καὶ τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, καὶ τὴν περὶ τελῶν, καὶ τὴν περὶ ἀρετῶν, ἐκ τῆς περὶ παθῶν ὀρθῶς διασκέψεως ἠρτῆσθαι.*[2]) Scripsit autem opus *περὶ παθῶν*, cuius partem sedandis ac minuendis doloribus, ut Chrysippus, consecrasse videtur; atque huc pertinet fortasse, quod Hieronymus ait: *Legimus Crantorem, cuius volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero; Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Posidonii ad sedandos luctus opuscula percurrimus, qui diversis aetatibus, diversorum luctum, vel libris vel epistolis, minuere sunt conati.*[3]) Neque enim ex hoc uno loco, ut verbis utar Cl. Bakii,

---

1) Cic. *Tusc. Q.* I. 32. Cff. Wyttenb. *Disp. de an. imm.* p. 623 et Van Lynden l. l. p. 70.

2) Galenus *De Hipp. et Plat. decr.* l. V. p. 291 Basil. (p. 469, Ed. Kuhn) Cf. Cl. Bakius *Disp. de Posidonio* p. 197 et 222 sqq.

3) Hieronymus in *Epitaph. Nepot.* T. I. p. 22.

recte quis affirmet, Posidonium vel peculiare volumen composuisse de sedando luctu, vel consolationem ad aliquem scripsisse.[1]) Liber autem eius *περὶ παθῶν*, exceptis quibusdam fragmentis, quae Galenus servavit, interiit totus. Refutavit autem in eo Chrysippi sententiam, qua aegritudinem ex opinione vel ex animi infirmitate oriri dixerat, meliusque illo quaestionem explicuit, quare tempore sedari soleant dolores. Reversus enim ad antiquorum philosophorum de animo doctrinam, Platonis maxime et Aristotelis, tres animae statuebat esse partes, *τὸ ἐπιθυμητικὸν, τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ λογιστικὸν*, ex quibus et perturbationum originem repetendam et explicandam illam quaestionem ducebat: *τὸ τοίνυν παθητικὸν τῆς ψυχῆς*, ait, *ἐν τῷ χρόνῳ τοῦτο μὲν ἐμπίπλαται τῶν οἰκειῶν ἐπιθυμίων, τοῦτο δὲ κάμνει ταῖς πολυχρονίαις κινήσεσιν, ὥστε διὰ ἄμφω καθησυχάσαντος αὐτοῦ, καὶ μέτρια κινουμένου, κρατεῖν ὁ λογισμὸς ἤδη δύναται· ὥσπερ καὶ ἵππου τινὸς ἐκφόρου τὸν ἐπιβάτην ἐξενέγκοντος βιαίως, εἶτα κάμνοντός τε ἅμα τῷ δρόμῳ καὶ πρόσετι καὶ ἐμπλησθέντος, ὧν ἐπεθύμησεν, αὖθι ὁ ἡνίοχος ἐγκρατὴς κατασταίη.*[2]) Mitiora autem quaedam, quam caeteri Stoici, docebat, neque virtutem sibi ipsam sufficere, sed usum quoque esse corporis bonorum et externorum contendit.[3]) Quas vero ad sedandos dolores adhibuerit rationes, ignoramus plane, sed in his quoque praecipue Platonem secutus videtur, cuius *θεραπείας τῶν παθῶν* eum admodum comprobasse a Galeno docemur.[4])

---

1) Cl. Bakius l. l. p. 247.

2) Galenus l. l. p. 292 Basil. (p. 475 Ed. Kuhn) Cf. de hoc loco Cl. Bakius l. l. p. 228.

3) Diog. Laërt. VII. 128.

4) Galenus l. l. p. 289 Basil. (p. 458 Ed. Kuhn).

Quodsi bene augurari licet de doctrina alicuius, qui factis suis eam confirmavit, optime Posidonium in hoc loco versatum fuisse fatendum est, qui, quum Pompejus Rhodum venisset ad eximium illum philosophum audiendum, quamvis illius artus vehementer laborarent, tamen graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubans disputavit, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixit: «Nihil agis, dolor, quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.» [1])

In philosophis, qui de consolatione egerunt, memorandus etiam est Galenus, medicorum ille omnium post Hippocratem princeps, idemque *γνησίου φιλοσόφου* nomine ab Imperatore Antonino salutatus. [2]) Scripsit autem, ut ipse fatetur, opus *περὶ παραμυθίας*, quod tamen, ut alia bene multa, ad nostram non pervenit aetatem. [3]) Si vero ex titulo de ipso libro judicare liceat, Galenus, in hoc opere, totum argumentum nostrum complexus est, ac fortasse de variis philosophorum in consolandis miseris placitis egit, eaque suo submisit judicio. Quod si reputamus, quam accurate veteres philosophos perlegerit, et quo ingenii acumine et Chrysippi et Posidonii de animi affectibus sententiam dijudicaverit, haud exigua sane nobis est dolendi caussa, quod illius operis ne ullum

---

1) Cic. *Tusc. Q.* II. 25.

2) Vid. Kuhn in *Historia litt. Claudii Galeni*, praemissa editioni suae, p. 23.

3) Galenus *de suis libris* cap. 13. Vol. I. p. 47 E. Eiusdem vero liber *περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν*, ad nostrum argumentum non pertinet, quippe quo non de philosopha, sed medica perturbationum curatione egerit.

quidem fragmentum servatum sit. Ne tamen frustra lugeamus, sed potius, ex Epicuri praecepto consolatorio, a malis nos ad bona abducamus, et misso Galeno, ad Plutarchum properemus, cuius bene multis consolationibus hodieque gaudemus.

§ 8.

P l u t a r c h u s.

Plutarchus, nobilis ille Chaeronensis philosophus, etsi, quoad aetatem, ultimus fere Graecorum fuerit, inter primarios tamen summo jure habetur. Sive enim historicam fidem et philosopham in res gestas virorumque mores inquisitionem quaeris, adsunt eae in ipsius de vitis Graecorum Romanorumque parallelis opere: sive magnum ingenium spectas, disserendi subtilitatem, acutum de variis philosophorum placitis judicium, conspicuae hae dotes sunt in operibus eius moralibus: sive denique elegantem quaeris sermonem, in omnibus eius libris, tam philosophis, quam historicis, admiraris orationem summa perspicuitate, simplicitate et vero varietate et elegantia decoram. Magnus insuper his accedit laudis cumulus, quod non de rebus obscuris agendo gloriam sibi comparare, aut popularem captare auram studuerit; sed in communem omnium utilitatem scripta sua condiderit. Etenim, ut summi Wyttenbachii utar verbis, *ubique id egit Plutarchus, ut quid utile vel secus, quid fugiendum vel sequendum, doceret; ut de ratione vitae, de studio virtutum, de moderanda republica dissereret; denique ut philosophiam commendaret, non*

eam, quae rerum obscuritate gravitatis, et distinctionum acumine subtilitatis speciem affectaret, sed quae errore et superstitione liberaret, essetque vitae magistra et expultrix vitiorum. [1]) Quod quum ipsius esset scribendi propositum, fieri non potuit, quin miseris succurrere, eosque, quoad fieri posset, luctu doloribusque liberare in scriptis suis studeret. Servatas idcirco nobis gratulamur tres huius philosophi consolationes, quibus et Apollonium de morte filii adolescentis, et uxorem suam de obitu filiae, et amicum de exsilio consolatur. Quibus quartum ipsius addimus consolatorium opus *περὶ εὐθυμίας*, quo de minuendo dolore quaedam inveniuntur praecepta. [2]) De singulis igitur separatim agamus, ut quae in iis consolandi proponantur argumenta, cognoscamus.

Libri *περὶ εὐθυμίας* scribendi, haec Plutarcho opportunitas fuit. Paccius epistola eum adhortatus erat, ut de animi tranquillitate sibi scriberet, quum ipse rebus domesticis animo turbatum se sentiret. Itaque Plutarchus, ut amici satisfaceret precibus, ex commentariis suis quaedam de hoc argumento in epistola collegit, quam

---

1) Wyttenb. *Praef. ad Plutarchum de sera num. vind.* init.

2) Mirum est, Wyttenbachium Plutarchi *περὶ εὐθυμίας* librum in scriptis consolatoriis non enumerasse, quum Democriti et Hipparchi de eodem argumento opera in iis recenseat, in annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 698. In Plutarchi operibus Lampriae catalogus num. 109 habet, *παραμυθητικὸς πρὸς Ἀσκληπιάδην*, quem librum diversum fuisse ab eo, quem ad Apollonium scripsit, Wyttenb. ibid. p. 695 adversus Hoeschelium contendit. In eodem Lampriae catalogo num. 152 memoratur Plutarchi liber, *παραμυθητικὸς πρὸς Φηστίαν*, hodie deperditus. Ad nostrum etiam argumentum pertinuisse videtur eiusdem liber, *περὶ ἀλυπίας*, a Lampria memoratus num. 163.

Paccio suo Romae tradendam curavit. In illa autem praecepta quaedam tradit, quibus quis animum tranquillo statu servare possit, atque eorum deridens sententiam, qui hanc illamve vivendi rationem ad *εὐθυμίαν* plurimum facere statuerent, quomodo ferenda sint vitae mala, quibusque argumentis quis se ipse consolari et erigere debeat, docet. *Τῶν λόγων γὰρ*, ait, *ὅσοι πρὸς τὰ πάθη βοηθοῦσι, δεῖ πρὸ τῶν παθῶν ἐπιμελεῖσθαι τοὺς νοῦν ἔχοντας, ἵν' ἐκ πολλοῦ παρεσκευασμένοι μᾶλλον ὠφελῶσιν.* 1) Quod pulchra deinde imagine adumbrat: ut enim canes quavis aliena voce irritati, solâ eâ, cui adsueverunt, demulcentur, sic quoque animi motus nemo facile deliniverit, nisi rationes familiares ad turbatum animum placandum sint praesto. *Διὸ τὴν πηγὴν τῆς εὐθυμίας, ἐν αὐτοῖς οὖσαν ἡμῖν, ἐκκαθαίρωμεν, ἵνα καὶ τὰ ἐκτὸς, ὡς οἰκεῖα καὶ φίλια, μὴ χαλεπῶς χρωμένοις συμφέρηται.* 2) Ut igitur Paccium doceat, aequo animo ferenda esse mala, ita pergit philosophus. Plato vitam humanam comparavit cum tesserarum ludo, quo jaciendum est, et quod jactu cecidit, accipiendum. Illud quidem ad nos non pertinet, sed jactum convenienter, et ut decet, accipere, hoc in nostra est potestate. Aegre idcirco non sunt ferenda, quae nobis in vita minus prospere cedant, quum facta infecta reddere nequeamus; sed quae nobis obveniunt, in nostrum commodum sunt adhibenda. 3) Imitandi porro sunt viri, qui in iisdem rebus fortes sese praebuerunt. Ut enim aegroti, quibus omnia amara videntur, si alios eadem cum voluptate gustantes

---

1) Plut *περὶ εὐθυμίας* p. 465 C.
2) Ibid. p. 467 A.
3) Ibid. p. 467 C.

videant, non cibum, sed morbum huius amaritudinis caussam ducunt, sic nos quoque, ubi alios conspicimus iisdem rebus sine dolore et hilari animo uti, desinamus inique ferre res nostras oportet. Enumerare praeterea bona debemus, quae nobis adsunt, eaque ad mala minuenda adhibere. A duobus enim fatis vel geniis, ut ait Empedocles, inde ab ortu nostro, gubernamur, quorum alter bona, alter vero mala nobis tradit, quae secum invicem conjungenda sunt, ut neutrum praecellat. [1]) *Μανικὸν γάρ ἐστι τοῖς ἀπολλυμένοις ἀνιᾶσθαι, μὴ χαίρειν δὲ τοῖς σωζομένοις, ἀλλ' ὥσπερ τὰ μικρὰ παιδάρια, ἀπὸ πολλῶν παιγνίων ἂν ἕν τις ἀφέληταί τι, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα πρὸςρίψαντα κλαίει καὶ βοᾷ, τὸν αὐτὸν τρόπον ἡμᾶς περὶ ἓν ὀχληθέντας ὑπὸ τῆς τύχης, καὶ τἄλλα πάντα ποιεῖν ἀνόνητα ἑαυτοῖς, ὀδυρομένους καὶ δυσφοροῦντας. — Δεῖ δὲ, ὥσπερ ἐν πινακίῳ χρωμάτων, ἐν τῇ ψυχῇ τῶν πραγμάτων τὰ φαιδρὰ καὶ λαμπρὰ προβάλλοντας, ἀποκρύπτειν τὰ σκυθρωπὰ καὶ πιέζειν.* Contemplanda est praeterea vita humana multis malis abundans, neque bonis hisce, quibus fruimur, multum tribuendum, quum mutabilem ubique cognoveris fortunam. Laudanda idcirco Euripidis sunt verba:

Οἴμοι· τί δ' οἴμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν,

quum malorum quaedam necessitas cum nostra conjuncta sit natura, quam non repellere, sed aequo animo ferre possumus. Fortuna enim, ut in res nostras, quae nullius fere pretii sunt, valet, in mentem vero nostram, in doctrinam, in virtutem nihil valet. [2]) Magnum denique est

1) Plut. *περὶ εὐθυμίας* p. 474 B.
2) Ibid. p. 474 C — p. 476.

solatium in vitae huius calamitatibus, si nobis conscii sumus, non nostra id factum esse culpa, et si reputamus, mortem nos in meliorem, saltem non deteriorem statum abducturam. Tum enim apertis oculis adspicere possumus fortunam, exiguamque ipsius in animum humanum vim deridere; tum ei cum Metrodoro dicere licet: *προκατείλημμαί σε, ὦ τυχὴ, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν.* 1)

Quae autem in libro *περὶ εὐθυμίας* universe tractavit Plutarchus et hic atque illic dispersit, id data opera in consolatione ad Apollonium profligavit, et argumenta consolandi, sedulo collecta, uberius explicuit, ut aegro Apollonii ob filii mortem animo salutarem afferret medicinam. Quo vero paratiores ad ipsum Plutarchi librum accedamus, adscribere hic liceat summi Wyttenbachii de hoc opere judicium. „Est omnino, ait, egregius hic liber, argumento, doctrina, sententiis, et plane Plutarcheus, sed adolescentis Plutarchi eum esse, produnt materia, stilus, ratio. Materia praecipuae quidem illa suavitatis et praestantiae, magis tamen aliena quam propria, collecta e locis communibus philosophorum, nec ad certam judicii rationem exacta; et, quod in Corinnae ad Pindarum adolescentem dicto fertur, non manu sparsa, sed e sacco effusa. Porro in stilo, id est, in orationis forma, apparet redundantia quaedam juvenilis, imitatio compositionis Platonicae illius, non ad Socraticam perspicuitatem, sed ad tragicam gravitatem conformatae, in synonymis, praepositionibus, interjectis enunciatis, longioribus et suo nexu solutis sententiarum circumductionibus. Denique ratio, id est, distributio materiae,

---

1) Ibid. p. 476 C.

aut vaga aut nulla, nec suis locis et argumentorum finibus notata." [1])

Initio libri Plutarchus Apollonium monet, jam diu se obitum ipsius optimi filii audiisse, neque tamen ad ipsum consolandum se accinxisse, quoniam recentibus doloribus nulla medicina proficere soleat. Nunc vero se, temporis quodam spatio praeterito, ut amicitiae sensibus, quibus cum eo conjunctus erat, indulgeret, ipsius luctum philosophiae rationibus minuere, sibi proposuisse. Itaque ex Aeschyli sententia:

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι,
Ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ,

sic fere eum alloquitur. Sunt, qui filii mortem minime lugendam putent, quique in omni vita ἀπαθείαν laudent; quibus tamen minime est assentiendum, quum in nostra non sit potestate, ut dolores prorsus auferamus. Neque etiam faciendum cum iis, qui luctui indulgeant, neque plorando et gemendo finem imponant; sed modice lugendae sunt vitae calamitates, quae μετριοπαθεία nostrae convenit naturae. Cordati enim est viri, in bonis et malis semper eundem se praebere; εὐλογιστίας γὰρ ἔργον ἐστὶν ἢ τὸ φυλάξασθαι τὸ κακὸν ἐπιφερόμενον, ἢ διορθώσασθαι γενόμενον, ἢ συστεῖλαι πρὸς τὸ βραχύτατον, ἢ παρασκευάζειν αὐτοῦ τὴν ὑπομονὴν ἄῤῥενα καὶ γενναίαν. [2])

---

1) Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI p. 696. — Ipse Plutarchus magna se cura hanc consolationem ex aliorum libris composuisse fatetur, p. 121 E. ταῦτα-διαγαγών, — καὶ συνθεὶς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας. Quare autem Wyttenb. vagam huius libri rationem esse dixerit, satis apparebit, ubi e. g. p. 110 E. cum p. 113 C., et p. 112 B. cum p. 115 A., alia contuleris.

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 103 A.

Vitam enim humanam calamitatum esse plenam fortunamque mutabilem, tum ipsi experimur quotidie, tum in aliis observamus: dolia enim, ut Homerus cecinit, dolia duo in Jovis aula habentur, quorum hoc bonis, illud vero malis est repletum, aliis igitur sola bona contingunt, aliis sola mala, plerisque tamen utraque illa inter se mixta. Quid igitur lacrimaris de morte filii? lacrimis enim nihil proficies; si vero caeteros respexeris homines, plurimos videbis te multo infeliciores, qui nullos unquam habuerint liberos, vel qui tyrannide crucientur vel contineantur vinculis. Vere idcirco Socrates dixit: si omnibus communes fierent dolores, ea lege, ut eorum aequalem quisque partem acciperet, plerique sua mala retinere mallent. 1) Quare autem mortuum lugendum arbitraris? Mors enim malum non est, sed potius bonum, quum Aeschylus eam vocarit ἴαμα τῶν πολλῶν κακῶν, et verissimum hoc sit, per mortem hominem omnibus malis liberari. Comparatur autem mors cum somno, huiusque soror dicitur, quid autem somno dulcius? Comparatur eadem cum peregrinatione, animique dicitur a corpore solutio; quid autem suavius excogitari possit, quam animum a corporis labe liberum, ipsum per se in posterum vivere, et quod per totam vitam tentaverit, id perficere posse? Neque hoc solo poetarum ac philosophorum judicio nititur, sed ipsi id testati sunt Dii, in remunerandis cum Cleobi ac Bitone, tum Agamede et Trophonio, tum etiam in oraculo, quod Elisio dederunt. Idem etiam obvenit Pindaro, qui quum vatem rogasset, quid homini maxime conveniret, hoc responsum accepit, id eum latere non posse, qui Agamedis ac Trophonii fatum celebrasset,

1) Plut. Ibid. p. 106 B.

brevi autem id ipsi planius futurum, quo accepto responso, haud diu post diem supremum obiit. Quodsi ex nonnullorum sententia mortem dicimus et corporis et animi interitum, neque tum malum est, quum una cum vita omnem simul sensum amittamus. In eo autem Arcesilaus mortem a caeteris malis differre statuit, quod non praesens, sed absens, dumque exspectatur, molestiam afferat; Epicharmus vero omnia illuc abire dixit, unde venerunt, terram quidem in terram, spiritum vero sursum proficisci.[1]) Neque lugendi caussa adest, ubi filium immatura aetate amisimus; ignoramus enim, reliquamne vitam beatus transacturus fuisset, an vero calamitatibus oppressus miserrime victurus, sed hoc verissimum est, mortuum nullis amplius premi malis. Neque etiam longa, sed honesta vita felix est praedicanda: *τὸ γὰρ καλὸν οὐκ ἐν μήκει χρόνου θετέον, ἀλλ' ἐν ἀρετῇ καὶ τῇ καιρίῳ συμμετρίᾳ· τοῦτο γὰρ εὔδαιμον καὶ θεοφιλὲς εἶναι νενόμισται. — Μέτρον δὲ τοῦ βίου, τὸ καλὸν, οὐ τὸ τοῦ χρόνου μῆκος.* Qualem autem appellamus brevem aut longam vitam? Decem millia annorum, ut ait Simonides, punctum sunt quoddam aeternitatis, vel minima potius puncti pars. Narrant, juxta Pontum quasdam inveniri bestiolas, quae unum tantum diem viventes, si ad vesperam vitam ducunt, senes longaevi habentur; his igitur si humanus inesset animus, quid, quaeso, de nostra dicerent vita?[2]) Lugentem porro si rogamus, quare moereat, suane an mortui caussa, quid respondebit? Si mortui caussa plorat, inanis ipsius est luctus, quum mortuus multo felicior sit praedicandus, quippe vitae malis

---

1) Plut. l. l. p. 106 D. —110 E.
2) Ibid. p. 111. Cf. p. 113 C.

ereptus; si vero sua gratia, liquebit omnino, non defuncti ipsum, sed utilitatis, quam ex eo percipiebat, desiderio teneri. Pulcherrime autem antiquus philosophus naturam luctus hac fabula expressit: quum Jupiter diis singulis honores distribueret, non aderat Luctus, qui tamen deinde adveniens, quum omnia jam essent distributa, accepit, quae restabant, dolores et lacrimas, quae mortuis impenduntur. Ut igitur ceteri dii eos, a qu bus coluntur, amant, ita quoque Luctus, si lacrimis ipsum et planctibus honoras, te diliget, semperque tibi aliquam moerendi suppeditabit materiam, ut continenter a te colatur. Quaeri etiam ex lugente liceat, utrum per totam vitam plorare decreverit, an vero postea ei finem sit impositurus; quodsi illud decrevisti, vitam prae animi ignavia miserrimam acturus es; si vero tempore putas minutum iri dolores, cur non statim eos deprimis? quare tempori relinquetur, quod ipse ratione tua efficere possis? [1]) Praeparare autem nos debemus, ut ne impares et inermes mala nos opprimant; qua de re audiendus est Plato, qui vitam cum aleae jactu comparans, res nostras componere adhortatur ad jactus exitum: quod nisi fecerimus, advenientibus malis obruemur, et ita plorabimus, lugebimus, pectora plangemus, ut mulieribus potius et barbaris, quibus id proprium est, quam viris Graecis futuri simus similes. Maximum autem solatium est in calamitatibus, si culpa vacamus, et si reputamus, tot tantisque malis abundare vitam, ut a multis jam sapientibus ea deplorata sit, quasi nobis in poenam data; eaque fuerit multorum de illa sententia, nasci esse malum, natis autem prodesse, ut statim post ortum mo-

---

1) Plut. l. l. p. 111 E. — 113 C.

riantur. Duo praeterea praecepta nobis in primis sunt tenenda, *nosce te ipsum*, et *ne quid nimis*, quae ita secum invicem sunt conjuncta, ut alterum sine altero esse nequeat. Si enim nosmet ipsos bene noverimus, neque bonis exsultabimus, neque malis succumbemus. Sunt tamen permulti, qui ea, quae inopinato et praeter spem evenerunt, fortunae ac deorum malignitate accidere existiment, at vero, ut recte cecinit poeta:

Θεὸς δέ σοι πῆμ' οὐδὲν, ἀλλ' αὐτὸς σὺ σοί. 1)

Nostra enim pravitate nobis comparamus mala, quae, ut nosmet excusemus, fortunae diisque tribuimus. Sed tamen Deus, qui paterna caritate prospicit generi humano, hunc illumve juvenili aetate surripit, ut ne diutius vivens corrumperetur, vitaeque sentiret mala. In memoriam praeterea sunt revocanda egregia virorum dicta et agendi ratio, quum in iisdem versarentur calamitatibus, veluti Anaxagorae, qui, audita filii morte, dixit: „scivi, me mortalem procreasse," Periclis, qui item filii morte nunciata, pergebat concionari et Athenienses ad bellum adhortari, tum etiam Xenophontis, Dionis, aliorum. Hos igitur imitari debemus, neque amplius lugendum, cum breve sit vitae spatium, et quoad fieri potest, jucundissime transigendum. 2)

Hisce dictis, Apollonium alloquitur Plutarchus, ipsiusque filii probitatem, diligentiam, prudentiam aliasque virtutes laudat, quibus haec addit. Si verum est, quod

1) Plut. l. l. p. 117 A. Pro vulgata *αὐτὸς αὐτῷ*, dedimus *αὐτὸς σὺ σοὶ*, de egregia Porsoni emendatione *ad Eurip. Med.* 140, quocum facit Usterius ad h. l.

2) Plut. l. l. p. 113 — 119.

antiqui poetae et philosophi affirmant, locum esse separatum piis honestisque, qui decesserunt, ubi cum Diis versantur, divinam agentes vitam, tibi quidem, o Apolloni, pulcherrima adest spes, filium tuum in beatas illas profectum esse regiones, quippe qui honestissime vitam egerit. *Καλῶς οὖν ποιήσεις, καὶ τῷ λόγῳ πεισθεὶς, καὶ τῷ μακαρίτῃ σου υἱῷ χαρισάμενος, καὶ μεταβαλὼν ἐκ τῆς ἀνωφελοῦς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν κακώσεως καὶ διαφθορᾶς, ἐπὶ τὴν συνήθη σοι καὶ κατὰ φύσιν διαγωγὴν ἐλθεῖν. Ὡς γὰρ οὐδὲ συμβιῶν ἡμῖν ἡδέως ἑώρα κατηφεῖς ὄντας, οὔτε σε, οὔτε τὴν μητέρα, οὕτως οὐδὲ νῦν μετὰ θεῶν ὢν, καὶ τούτοις συνεστιώμενος, εὐαρεστήσειεν ἂν τῇ τοιαύτῃ ὑμῶν διαγωγῇ. Ἀνδρὸς οὖν ἀγαθοῦ καὶ γενναίου καὶ φιλοτέκνου φρόνημα ἀναλαβὼν, σεαυτόν τε καὶ τὴν μητέρα τοῦ νεανίσκου, καὶ τοὺς συγγενεῖς καὶ φίλους ἔκλυσαι τῆς ταύτης κακοδαιμονίας, εἰς γαληνότερον μετελθὼν βίου σχῆμα καὶ προςφιλέστατον τῷ τε υἱῷ σου καὶ πᾶσιν ἡμῖν τοῖς κηδομένοις σου κατὰ τὸ προσῆκον.*

Diversa plane ab hoc opere est alia consolatio, qua Plutarchus Timoxenam uxorem, in parvulae filiae obitu, admonet, ut ne dolori indulgeat, non lectionis copias expromens, sed proprios animi sensus prodens, qui cum communione doloris, affectu patris et mariti, prudentia et moderatione viri docti, per totam scriptionem dominentur. [1]) Non igitur philosopha ac subtili de malis disquisitione uxoris dolorem minuere studet, sed ad muliebre eius ingenium orationem accommodans, modo hortatur, modo laudat. Carissima, sic ait, carissima

1) Vid. Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 696. Cf. Abbing *Diss. de indole Plutarchi in scriptis conspicua.* Traj. ad Rh. 1839. p. 59 sqq.

[illegible] fuit filia, quam tuo nomine insignitam, amicam habebamus, quaeque ingenio sincero ac mansueto erat, mutuoque amore nos et nutricem et caeteros prosequebatur. Haec igitur et alia eius facta et dicta perpetuo recordemur, quae [illegible] pius, quam moesti afferunt. Admirantur autem te, carissima uxor, omnes qui interfuerunt, quod non lugubri induta veste planctus edidisti, neque magno tumultu, sed modice et tacite omnia, quae ad sepulturam pertinerent, perfecisti. Neque mirum mihi accidit, te in tristibus frugalitatem conservasse, quam in rebus jucundis, in conviviis ac festis, semper eandem te essem expertus. Nimia enim lugendi cupiditas et lamentationes planctusque non minus turpia sunt, quam voluptatum intemperantia. Quid enim magis a ratione est alienum, quam a marito uxorem, ne servos ancillasque immodice puniat, impediri, eidem tamen non interdici, quominus acerbe de se ipsa supplicium sumat in eo casu, qui humaniorem quandam animi relaxationem requirat? Hae vero lites nobis nunquam fuerunt, neque erunt postea, quum tua, uxor, frugalitas et modestia ab omnibus, qui te noverunt, laudetur: hoc etiam ostendisti, ubi filium amisimus, quum omnia domi ita essent pacata et tranquilla, ut hospites, apud nos degentes, nihil mali accidisse arbitrarentur. 1) Recte autem Aesopus fabula expressit veram luctus naturam, nimirum decrevisse Jovem, ut ab iis tantum Luctus coleretur, qui volentes ultroque id facerent. Commode enim luctus comparari possit cum fera, in quam ante fores sit pugnandum, neque committendum, ut veste, tonsura aliave re praesidium imponat; quod nisi

1) Plut. *Cons. ad uxorem* p. 608 — 609 E.

fecerimus, occupabit nos efficietque, ut solitam vitae rationem relinquentes, aliis multis malis morbisque afficiamur. Maxime igitur laetatus sum, quum nullas a te adhibitas feminas audirem, quae planctibus suis et lamentatione dolorem alentes, quominus luctus vel per se vel per alias res diminueretur, impedirent. Transferamus nos, sic pergit Plutarchus, in illud tempus, quo nondum nata erat filia, illudque cum hodierno comparemus, quod plane ei est simile. Si pristina tempora laetiora fuisse dicis, aegre ferre videris filiae tuae ortum; biennium vero, quod intercessit, non ex memoria est delendum, sed in lucro ponamus, neque aegre feramus, spem nos fefellisse. *Ἀεὶ μὲν γὰρ ἡ περὶ τὸ θεῖον εὐφημία καὶ τὸ πρὸς τὴν τύχην ἵλεων καὶ ἀμεμφὲς, καλὸν καὶ ἡδὺν ἀποδίδωσι καρπόν· ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις, ὁ μάλιστα τῆς μνήμης τῶν ἀγαθῶν ἀπαρυτόμενος, καὶ τοῦ βίου πρὸς τὰ φωτεινὰ καὶ λαμπρὰ μεταστρέφων καὶ μεταφέρων ἐκ τῶν σκοτεινῶν καὶ ταρακτικῶν τὴν διανοίαν, ἢ παντάπασιν ἔσβεσε τὸ λυποῦν, ἢ τῇ πρὸς τοὐναντίον μίξει μικρὸν καὶ ἀμαυρὸν ἐποίησεν.* Felicitas autem nostra non pendet a fortunae vicissitudinibus, sed a rectis consiliis animique in rebus adversis constantia. Converte oculos ad homines, qui nobiscum sunt, et ubique invenies, qui felicitatem nostram, liberos, opes, domum suspiciant. Quid? si illi nos felices praedicant, nos moerore conficiamur, cum una nobis res praeter spem acciderit, neque reputemus, pro uno malo plura nobis adesse bona? Neque dolendum est propterea, quod filia nostra *ἄγαμος καὶ ἄπαις* mortua sit, *οὐ γάρ ἐστι ταῦτα μεγάλα μὲν τοῖς στερομένοις ἀγαθὰ, μικρὰ δέ τοῖς ἔχουσιν.* Quum enim illa non cognovisset, nullo quoque eorum desiderio tenebatur, ac praeterea conjuncta eadem

sunt tot malis, ut revera bona non sint dicenda. [1]) Magnum insuper solatium praebet, quod didicimus in Bacchi mysteriis, nullum adesse malum iis, qui corpore sunt soluti, ideoque magis prodest, puerili, quam virili, aetate aut senectute mori. Animus enim, si diu in corpore fuit, ita cum eo conjunctum est, ac veluti coaluit, ut deinde sursum volans aliud subeat corpus, iisdem, quibus antea, malis et cupiditatibus obnoxius. Ille vero animus, qui per breve tempus cum corpore versatus, eiusque maculis minus pollutus est, ad Deos, unde venerat, rediens, eo celerius ad prioris vitae lucem reficitur. Hinc leges sunt constitutae, quae infantibus mortuis inferias libare, exstruere monumenta, eosque lugere vetant, utpote ad meliorem divinamque conditionem delatos. [2])

Et sic quidem philosophorum Graecorum consolatoria scripta de morte, et, quoad eius fieri potuit, argumenta consolandi, quibus in iis vel usi sunt, vel usi videntur, recensuimus. *Epicteti* autem, qui in ἐγχειριδίῳ argumenta quaedam consolandi attigit, propterea mentionem non fecimus, quod opus illud in consolatoriis libris non est enumerandum, de quibus hîc unice agimus. [3]) Neque libellus *Luciani*, περὶ πένθους inscriptus, huc est referendus, quippe quo auctor non lugentibus opituletur;

---

1) Plut. *Cons. ad uxorem* p. 609 E. — 611 D.

2) Deësse huic consolationi finis videtur, quum parum sit probabile, Plutarchum ita abripuisse sermonem, neque uxorem suam, ut ne luctui se traderet, iterum fuisse adhortatum.

3) De Epicteti in hoc loco meritis vid. Cl. D. J. van Lennep, *Orat. de praecl. vitae praesidiis contra adv. fortunam* Amst. 1800. p. 17 sqq.

sed de more suo acerbe moerentes et omnem luctum deridens, nullum aegris afferat solatium. *Juliani* autem epistolam tricesimam septimam, qua Amerium de uxoris obitu consolatur, *Demetrii Cydonii* de contemnenda morte opusculum, aliorumque opera, quae ad hoc argumentum spectant, propterea non memoravimus, quoniam unice de antiquis Graecis agendum videbatur, ne longior aperiretur disquirendi campus. Eadem fuit caussa, quare epistolam nonagesimam septimam, quae *Phalaridis* nomine fertur, silentio praetermisimus, quum illa caeteraeque eius epistolae a recentiore quodam sophista conscriptae esse videantur, ut dudum jam summus Bentleius docuit. Ne tamen quis opinetur, illos tantum, quos recensuimus, de hoc philosophiae loco egisse; verisimile est enim, plures alios fuisse, qui de eodem argumento, vel quaedam praeceperint, vel opera epistolasve condiderint consolatorias. Quod eo probabilius fit, quum apud Stobaeum in florilegio haud paucae sententiae inveniantur *Hermachi*, *Hermolochi*, *Obrimi*, aliorum, quae ex eorum libris consolatoriis, hodie deperditis ac ne nomine quidem cognitis, desumtae esse videantur.

Caput II.

DE PHILOSOPHIS GRAECIS, QUI CONSOLATIONES DE SENECTUTE SCRIPSERUNT.

Τὸ γῆρας οὐκ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ βίου,
ἀλλ' ἐπ' ἀρχῇ μακαρίας ζωῆς.
FAVORINUS.

Cicero, ubi de consolatione agit, separatim certas ait scholas esse de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni soleat calamitatis, eaque Graecos in singulas scholas et singulos libros dispertiri.[1] Nos vero separatim de omnibus agere non possumus, quum pleraque scripta, eo pertinentia, ad nostram non pervenerint memoriam. Nihil enim nobis relictum est, ex quo effici possit, quid e. g. de servitute, de debilitate deque caecitate monuerint; adsunt tantum scripta vel fragmenta quaedam de senectute, de exsilio deque interitu patriae.

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 34.

De his igitur hoc loco erit agendum, ut, quibus in his calamitatibus usi sint consolandi argumentis, perspicuum fiat.

Senectuti tria potissimum juncta esse mala conquesti sunt plurimi, primum quod auferat ac prorsus exstinguat cupiditates, deinde quod contemtum aliorum excitet, tandem quod propius absit a morte. Haec igitur mala minuere, neque tanta esse, quae aegritudinem animi commoveant, ostendere studuerunt philosophi, consolantium munere fungentes. Primus autem ex iis huc in censum venit *Plato*, qui, in opere de republica, Cephali sermonem de senectute refert. 1) Neque mirum esse potest, Cephalum potissimum a philosopho hac de re dicentem inductum esse, quippe qui ipse senex, quae essent et qualia senectutis mala, optime et scire et docere posset; qua in re haud discessit a Platone suo Cicero, primas in libro de senectute partes seni Catoni tribuens. 2) Itaque Cephalus a Socrate interrogatus, qualis ipsi videatur senectus, saepe se convenisse ait alios senes, qui vitae voluptatibus se privatos esse et a familiaribus ludibrio haberi conquererentur, neque vitam hac ratione vitalem esse existimarent. At vero illi, sic pergit, non veram rei caussam afferunt, nam si senectus sola esset horum malorum effectrix, omnes iis premerentur, quicumque ad eam aetatem pervenissent. Sed vera caussa in hominum moribus latet; *ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐστὶν ἐπίπονον· εἰ δὲ μὴ, καὶ γῆρας καὶ νεότης χαλεπὴ*

1) Plat. *Polit.* p. 329.

2) Vid. hac de re Van der Ton Comm. in Ann. Acad. Lovan. 1820 — 1821 p. 15.

τῷ τοιούτῳ ξυμβαίνει. Apte enim Sophocles aetate provectus, interrogatus, num voluptatibus adhuc uteretur: „Dii meliora, inquit, lubenter vero istinc, tanquam a domino agresti ac furioso, profugi." Atque ita revera sese res habet, cupiditates enim dominorum instar hominem regunt, et huc illuc trahunt; accedente vero senectute, in libertatem restituitur homo suique fit compos. Mores praeterea cuiusque atque vita peracta praecipua est caussa, quare instantem mortem alii metuant, alii sereno animo exspectent. Quicumque enim injuste egit in vita, etiamsi antea deriserit fabulas, quae de inferis feruntur, tamen ubi propius eam abesse reputaverit, metuit, ne veri quid iis insit, καὶ ἐκ τῶν ὕπνων, ὥσπερ οἱ παῖδες, θαμὰ ἐγειρόμενος, δειμαίνει καὶ ζῇ μετὰ κακῆς ἐλπίδος, qui vero nullius injuriae sibi conscius est, ei ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος. Haec de senectutis malis Cephalum dicentem facit Plato, cui consolationem ea de re scribendi non fuit propositum, sed potius parandi sermonem, quem deinde de justitia instituturus erat.

Missis autem *Theophrasto* 1) et *Aristone Chio*, 2) quorum scripta περὶ γήρως hodie prorsus perierunt, accedamus ad *Musonium Rufum*, philosophiae Stoicae addictum, quem Stobaeus librum conscripsisse dicit sub

1) Librum περὶ γήρως in eius scriptis recenset Diog. Laërt. V. 42. Meursius in *Theophrasto* (Ant. Gr. Gronovii Vol. X.) p. 631, fragmentum, quod exstat apud Stob. *Flor.* tit. 12, 20 ἀνὴρ εἰς Λακεδαίμονα κ. τ. λ. ex Theophrasti opere desumtum existimat, sed Aelianum huius narrationis auctorem esse, alii prodiderunt codices, eademque legitur apud Aelianum Var. Hist. VII. 20.

2) Cic. *de Senect.* c. 1, ubi Aristonem dicit, in dialogo de senectute, omnem sermonem tribuisse Tithono.

titulo, τί ἄριστον γήρως ἐφόδιον.[1]) Attamen ex ipsa fragmentorum ratione, quae hic illic ab antiquis referuntur, non ex Musonii scriptis, sed potius ex discipuli, vel alius cuiusdam, ἀπομνημονευμάτων desumta videntur, quale opus de Musonio exstitisse novimus, a Claudio Pollione fortasse conscriptum.[2]) Quae si ita sunt, ut est perquam probabile, totam eius de senectute disquisitionem Stobaeus ex libro ἀπομνημονευμάτων descripsisse videtur, quum initium adesse constet, neque caussa sit, quare finem ei adesse neges. In fragmento autem illo Musonius seni cuidam roganti, quid optimum sit senectutis viaticum, respondisse proponitur: τὸ ζῆν ὁδῷ καὶ κατὰ φύσιν, significare autem illud, homini non in voluptatibus, sed virtute esse vivendum. Quoad cupiditates enim, sic pergit, homo ad terram pertinet, quoad virtutes et indolem suam, μίμημα est τοῦ Θεοῦ. Ut igitur quis secundum suam naturam vivat, virtutem unice colere, voluptatem vero fugere debet, prouti Deus, qui prae virtutibus suis neque voluptate neque cupiditatibus aut invidia tenetur. Quod si in juventute quis fecerit, ad senectutem progressus, non aegre feret voluptates amissas, neque corporis infirmitatem, neque caetera, quae vocantur, mala, quoniam in se ipso optimam habebit medicinam, τὴν παιδείαν τὴν ὑπάρχουσαν. Si vero quis in juventute hoc neglexerit, senex adire potest philo-

---

1) Stob. *Flor.* tit. 117, 8 Ed. Gaisf.

2) Pluribus hoc exponit P. Nieuwland *Dissert. de Musonio Rufo* edit. a doct. Venhuizen Peerlkamp p. 53 sqq. — Musonii aetatem idem refert ad Augusti, Tiberii et sequentium Imperatorum tempora p. 10. Cf. de eodem Heerenus *Comm. de font. eclog. Stob.* in edit. sua T. II. P. II. p. 205.

riantur. Duo praeterea praecepta nobis in primis sunt tenenda, *nosce te ipsum*, et *ne quid nimis*, quae ita secum invicem sunt conjuncta, ut alterum sine altero esse nequeat. Si enim nosmet ipsos bene noverimus, neque bonis exsultabimus, neque malis succumbemus. Sunt tamen permulti, qui ea, quae inopinato et praeter spem evenerunt, fortunae ac deorum malignitate accidere existiment, at vero, ut recte cecinit poeta:

Θεὸς δέ σοι πῆμ' οὐδὲν, ἀλλ' αὐτὸς σὺ σοί. 1)

Nostra enim pravitate nobis comparamus mala, quae, ut nosmet excusemus, fortunae diisque tribuimus. Sed tamen Deus, qui paterna caritate prospicit generi humano, hunc illumve juvenili aetate surripit, ut ne diutius vivens corrumperetur, vitaeque sentiret mala. In memoriam praeterea sunt revocanda egregia virorum dicta et agendi ratio, quum in iisdem versarentur calamitatibus, veluti Anaxagorae, qui, audita filii morte, dixit: „scivi, me mortalem procreasse," Periclis, qui item filii morte nunciata, pergebat concionari et Athenienses ad bellum adhortari, tum etiam Xenophontis, Dionis, aliorum. Hos igitur imitari debemus, neque amplius lugendum, cum breve sit vitae spatium, et quoad fieri potest, jucundissime transigendum. 2)

Hisce dictis, Apollonium alloquitur Plutarchus, ipsiusque filii probitatem, diligentiam, prudentiam aliasque virtutes laudat, quibus haec addit. Si verum est, quod

1) Plut. l. l. p. 117 A. Pro vulgata *αὐτὸς αὑτῷ*, dedimus *αὐτὸς σὺ σοί*, de egregia Porsoni emendatione *ad Eurip. Med.* 140, quocum facit Usterius ad h. l.

2) Plut. l. l. p. 113 — 119.

antiqui poetae et philosophi affirmant, locum esse separatum piis honestisque, qui decesserunt, ubi cum Diis versantur, divinam agentes vitam, tibi quidem, o Apolloni, pulcherrima adest spes, filium tuum in beatas illas profectum esse regiones, quippe qui honestissime vitam egerit. *Καλῶς οὖν ποιήσεις, καὶ τῷ λόγῳ πεισθεὶς, καὶ τῷ μακαρίτῃ σου υἱῷ χαρισάμενος, καὶ μεταβαλὼν ἐκ τῆς ἀνωφελοῦς περὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν κακώσεως καὶ διαφθορᾶς, ἐπὶ τὴν συνήθη σοι καὶ κατὰ φύσιν διαγωγὴν ἐλθεῖν. Ὡς γὰρ οὐδὲ συμβιῶν ἡμῖν ἡδέως ἑώρα κατηφεῖς ὄντας, οὔτε σε, οὔτε τὴν μητέρα, οὕτως οὐδὲ νῦν μετὰ θεῶν ὢν, καὶ τούτοις συνεστιώμενος, εὐαρεστήσειεν ἂν τῇ τοιαύτῃ ὑμῶν διαγωγῇ. Ἀνδρὸς οὖν ἀγαθοῦ καὶ γενναίου καὶ φιλοτέκνου φρόνημα ἀναλαβὼν, σεαυτόν τε καὶ τὴν μητέρα τοῦ νεανίσκου, καὶ τοὺς συγγενεῖς καὶ φίλους ἔκλυσαι τῆς ταύτης κακοδαιμονίας, εἰς γαληνότερον μετελθὼν βίου σχῆμα καὶ προςφιλέστατον τῷ τε υἱῷ σου καὶ πᾶσιν ἡμῖν τοῖς κηδομένοις σου κατὰ τὸ προσῆκον.*

Diversa plane ab hoc opere est alia consolatio, qua Plutarchus Timoxenam uxorem, in parvulae filiae obitu, admonet, ut ne dolori indulgeat, non lectionis copias expromens, sed proprios animi sensus prodens, qui cum communione doloris, affectu patris et mariti, prudentia et moderatione viri docti, per totam scriptionem dominentur. 1) Non igitur philosopha ac subtili de malis disquisitione uxoris dolorem minuere studet, sed ad muliebre eius ingenium orationem accommodans, modo hortatur, modo laudat. Carissima, sic ait, carissima

1) Vid. Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 696. Cf. Abbing *Diss. de indole Plutarchi in scriptis conspicua.* Traj. ad Rh. 1839, p. 59 sqq.

mihi tibique fuit filia, quam tuo nomine insignitam, unicam habebamus, quaeque ingenio sincero ac mansueto erat, mutuoque amore nos et nutricem et caeteros prosequebatur. Haec igitur et alia eius facta et dicta perpetuo recordemur, quae jucundi plus, quam moesti afferunt. Admirantur autem te, carissima uxor, omnes qui interfuerunt, quod non lugubri induta veste planctus edidisti, neque magno sumtu, sed modice et tacite omnia, quae ad sepulturam pertinerent, perfecisti. Neque mirum mihi accidit, te in tristibus frugalitatem conservasse, quum in rebus jucundis, in conviviis ac festis, semper eandem te essem expertus. Nimia enim lugendi cupiditas et lamentationes planctusque non minus turpia sunt, quam voluptatum intemperantia. Quid enim magis a ratione est alienum, quam a marito uxorem, ne servos ancillasque immodice puniat, impediri, eidem tamen non interdici, quominus acerbe de se ipsa supplicium sumat in eo casu, qui humaniorem quandam animi relaxationem requirat? Hae vero lites nobis nunquam fuerunt, neque erunt postea, quum tua, uxor, frugalitas et modestia ab omnibus, qui te noverunt, laudetur: hoc etiam ostendisti, ubi filium amisimus, quum omnia domi ita essent pacata et tranquilla, ut hospites, apud nos degentes, nihil mali accidisse arbitrarentur. [1]) Recte autem Aesopus fabula expressit veram luctus naturam, nimirum decrevisse Jovem, ut ab iis tantum Luctus coleretur, qui volentes ultroque id facerent. Commode enim luctus comparari possit cum fera, in quam ante fores sit pugnandum, neque committendum, ut veste, tonsura aliave re praesidium imponat; quod nisi

---

1) Plut. *Cons. ad uxorem* p. 608 — 609 E.

fecerimus, occupabit nos efficietque, ut solitam vitae rationem relinquentes, aliis multis malis morbisque afficiamur. Maxime igitur laetatus sum, quum nullas a te adhibitas feminas audirem, quae planctibus suis et lamentatione dolorem alentes, quominus luctus vel per se vel per alias res diminueretur, impedirent. Transferamus nos, sic pergit Plutarchus, in illud tempus, quo nondum nata erat filia, illudque cum hodierno comparemus, quod plane ei est simile. Si pristina tempora laetiora fuisse dicis, aegre ferre videris filiae tuae ortum; biennium vero, quod intercessit, non ex memoria est delendum, sed in lucro ponamus, neque aegre feramus, spem nos fefellisse. *Ἀεὶ μὲν γὰρ ἡ περὶ τὸ θεῖον εὐφημία καὶ τὸ πρὸς τὴν τύχην ἵλεων καὶ ἀμεμφὲς, καλὸν καὶ ἡδὺν ἀποδίδωσι καρπόν· ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις, ὁ μάλιστα τῆς μνήμης τῶν ἀγαθῶν ἀπαρυτόμενος, καὶ τοῦ βίου πρὸς τὰ φωτεινὰ καὶ λαμπρὰ μεταστρέφων καὶ μεταφέρων ἐκ τῶν σκοτεινῶν καὶ ταρακτικῶν τὴν διανοίαν, ἢ παντάπασιν ἔσβεσε τὸ λυποῦν, ἢ τῇ πρὸς τοὐναντίον μίξει μικρὸν καὶ ἀμαυρὸν ἐποίησεν.* Felicitas autem nostra non pendet a fortunae vicissitudinibus, sed a rectis consiliis animique in rebus adversis constantia. Converte oculos ad homines, qui nobiscum sunt, et ubique invenies, qui felicitatem nostram, liberos, opes, domum suspiciant. Quid? si illi nos felices praedicant, nos moerore conficiamur, cum una nobis res praeter spem acciderit, neque reputemus, pro uno malo plura nobis adesse bona? Neque dolendum est propterea, quod filia nostra *ἄγαμος καὶ ἄπαις* mortua sit, *οὐ γάρ ἐστι ταῦτα μεγάλα μὲν τοῖς στερομένοις ἀγαθὰ, μικρὰ δέ τοῖς ἔχουσιν.* Quum enim illa non cognovisset, nullo quoque eorum desiderio tenebatur, ac praeterea conjuncta eadem

sunt tot malis, ut revera bona non sint dicenda.[1]) Magnum insuper solatium praebet, quod didicimus in Bacchi mysteriis, nullum adesse malum iis, qui corpore sunt soluti, ideoque magis prodest, puerili, quam virili, aetate aut senectute mori. Animus enim, si diu in corpore fuit, ita cum eo conjunctum est, ac veluti coaluit, ut deinde sursum volans aliud subeat corpus, iisdem, quibus antea, malis et cupiditatibus obnoxius. Ille vero animus, qui per breve tempus cum corpore versatus, eiusque maculis minus pollutus est, ad Deos, unde venerat, rediens, eo celerius ad prioris vitae lucem reficitur. Hinc leges sunt constitutae, quae infantibus mortuis inferias libare, exstruere monumenta, eosque lugere vetant, utpote ad meliorem divinamque conditionem delatos.[2])

Et sic quidem philosophorum Graecorum consolatoria scripta de morte, et, quoad eius fieri potuit, argumenta consolandi, quibus in iis vel usi sunt, vel usi videntur, recensuimus. *Epicteti* autem, qui in ἐγχειριδίῳ argumenta quaedam consolandi attigit, propterea mentionem non fecimus, quod opus illud in consolatoriis libris non est enumerandum, de quibus hîc unice agimus.[3]) Neque libellus *Luciani*, περὶ πένθους inscriptus, huc est referendus, quippe quo auctor non lugentibus opituletur;

---

1) Plut. *Cons. ad uxorem* p. 609 E. — 611 D.

2) Deësse huic consolationi finis videtur, quum parum sit probabile, Plutarchum ita abripuisse sermonem, neque uxorem suam, ut ne luctui se traderet, iterum fuisse adhortatum.

3) De Epicteti in hoc loco meritis vid. Cl. D. J. van Lennep, *Orat. de praecl. vitae praesidiis contra adv. fortunam* Amst. 1800. p. 17 sqq.

sed de more suo acerbe moerentes et omnem luctum deridens, nullum aegris afferat solatium. *Juliani* autem epistolam tricesimam septimam, qua Amerium de uxoris obitu consolatur, *Demetrii Cydonii* de contemnenda morte opusculum, aliorumque opera, quae ad hoc argumentum spectant, propterea non memoravimus, quoniam unice de antiquis Graecis agendum videbatur, ne longior aperiretur disquirendi campus. Eadem fuit caussa, quare epistolam nonagesimam septimam, quae *Phalaridis* nomine fertur, silentio praetermisimus, quum illa caeteraeque eius epistolae a recentiore quodam sophista conscriptae esse videantur, ut dudum jam summus Bentleius docuit. Ne tamen quis opinetur, illos tantum, quos recensuimus, de hoc philosophiae loco egisse; verisimile est enim, plures alios fuisse, qui de eodem argumento, vel quaedam praeceperint, vel opera epistolasve condiderint consolatorias. Quod eo probabilius fit, quum apud Stobaeum in florilegio haud paucae sententiae inveniantur *Hermachi*, *Hermolochi*, *Obrimi*, aliorum, quae ex eorum libris consolatoriis, hodie deperditis ac ne nomine quidem cognitis, desumtae esse videantur.

Caput II.

DE PHILOSOPHIS GRAECIS, QUI CONSOLATIONES DE SENECTUTE SCRIPSERUNT.

Τὸ γῆρας οὐκ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ βίου,
ἀλλ' ἐπ' ἀρχῇ μακαρίας ζωῆς.
FAVORINUS.

Cicero, ubi de consolatione agit, separatim certas ait scholas esse de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni soleat calamitatis, eaque Graecos in singulas scholas et singulos libros dispertiri. 1) Nos vero separatim de omnibus agere non possumus, quum pleraque scripta, eo pertinentia, ad nostram non pervenerint memoriam. Nihil enim nobis relictum est, ex quo effici possit, quid e. g. de servitute, de debilitate deque caecitate monuerint; adsunt tantum scripta vel fragmenta quaedam de senectute, de exsilio deque interitu patriae.

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 34.

De his igitur hoc loco erit agendum, ut, quibus in his calamitatibus usi sint consolandi argumentis, perspicuum fiat.

Senectuti tria potissimum juncta esse mala conquesti sunt plurimi, primum quod auferat ac prorsus exstinguat cupiditates, deinde quod contemtum aliorum excitet, tandem quod propius absit a morte. Haec igitur mala minuere, neque tanta esse, quae aegritudinem animi commoveant, ostendere studuerunt philosophi, consolantium munere fungentes. Primus autem ex iis huc in censum venit *Plato*, qui, in opere de republica, Cephali sermonem de senectute refert. 1) Neque mirum esse potest, Cephalum potissimum a philosopho hac de re dicentem inductum esse, quippe qui ipse senex, quae essent et qualia senectutis mala, optime et scire et docere posset; qua in re haud discessit a Platone suo Cicero, primas in libro de senectute partes seni Catoni tribuens. 2) Itaque Cephalus a Socrate interrogatus, qualis ipsi videatur senectus, saepe se convenisse ait alios senes, qui vitae voluptatibus se privatos esse et a familiaribus ludibrio haberi conquererentur, neque vitam hac ratione vitalem esse existimarent. At vero illi, sic pergit, non veram rei caussam afferunt, nam si senectus sola esset horum malorum effectrix, omnes iis premerentur, quicumque ad eam aetatem pervenissent. Sed vera caussa in hominum moribus latet; *ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐστὶν ἐπίπονον· εἰ δὲ μὴ, καὶ γῆρας καὶ νεότης χαλεπὴ*

1) Plat. *Polit.* p. 329.

2) Vid. hac de re Van der Ton Comm. in Ann. Acad. Lovan. 1820 — 1821 p. 15.

τῷ τοιούτῳ ξυμβαίνει. Apte enim Sophocles aetate provectus, interrogatus, num voluptatibus adhuc uteretur: „Dii meliora, inquit, lubenter vero istinc, tanquam a domino agresti ac furioso, profugi." Atque ita revera sese res habet, cupiditates enim dominorum instar hominem regunt, et huc illuc trahunt; accedente vero senectute, in libertatem restituitur homo suique fit compos. Mores praeterea cuiusque atque vita peracta praecipua est caussa, quare instantem mortem alii metuant, alii sereno animo exspectent. Quicumque enim injuste egit in vita, etiamsi antea deriserit fabulas, quae de inferis feruntur, tamen ubi propius eam abesse reputaverit, metuit, ne veri quid iis insit, *καὶ ἐκ τῶν ὕπνων, ὥσπερ οἱ παῖδες, θαμὰ ἐγειρόμενος, δειμαίνει καὶ ζῇ. μετὰ κακῆς ἐλπίδος*, qui vero nullius injuriae sibi conscius est, ei ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος. Haec de senectutis malis Cephalum dicentem facit Plato, cui consolationem ea de re scribendi non fuit propositum, sed potius parandi sermonem, quem deinde de justitia instituturus erat.

Missis autem *Theophrasto* 1) et *Aristone Chio*, 2) quorum scripta περὶ γήρως hodie prorsus perierunt, accedamus ad *Musonium Rufum*, philosophiae Stoicae addictum, quem Stobaeus librum conscripsisse dicit sub

---

1) Librum περὶ γήρως in eius scriptis recenset Diog. Laërt. V. 42. Meursius in *Theophrasto* (Ant. Gr. Gronovii Vol. X.) p. 631, fragmentum, quod exstat apud Stob. *Flor.* tit. 12, 20 ἀνὴρ εἰς Λακεδαίμονα κ. τ. λ. ex Theophrasti opere desumtum existimat, sed Aelianum huius narrationis auctorem esse, alii prodiderunt codices, eademque legitur apud Aelianum Var. Hist. VII. 20.

2) Cic. *de Senect.* c. 1, ubi Aristonem dicit, in dialogo de senectute, omnem sermonem tribuisse Tithono.

titulo, τί ἄριστον γήρως ἐφόδιον.[1]) Attamen ex ipsa fragmentorum ratione, quae hic illic ab antiquis referuntur, non ex Musonii scriptis, sed potius ex discipuli, vel alius cuiusdam, ἀπομνημονευμάτων desumta videntur, quale opus de Musonio exstitisse novimus, a Claudio Pollione fortasse conscriptum.[2]) Quae si ita sunt, ut est perquam probabile, totam eius de senectute disquisitionem Stobaeus ex libro ἀπομνημονευμάτων descripsisse videtur, quum initium adesse constet, neque caussa sit, quare finem ei adesse neges. In fragmento autem illo Musonius seni cuidam roganti, quid optimum sit senectutis viaticum, respondisse proponitur: τὸ ζῆν ὁδῷ καὶ κατὰ φύσιν, significare autem illud, homini non in voluptatibus, sed virtute esse vivendum. Quoad cupiditates enim, sic pergit, homo ad terram pertinet, quoad virtutes et indolem suam, μίμημα est τοῦ θεοῦ. Ut igitur quis secundum suam naturam vivat, virtutem unice colere, voluptatem vero fugere debet, prouti Deus, qui prae virtutibus suis neque voluptate neque cupiditatibus aut invidia tenetur. Quod si in juventute quis fecerit, ad senectutem progressus, non aegre feret voluptates amissas, neque corporis infirmitatem, neque caetera, quae vocantur, mala, quoniam in se ipso optimam habebit medicinam, τὴν παιδείαν τὴν ὑπάρχουσαν. Si vero quis in juventute hoc neglexerit, senex adire potest philo-

1) Stob. *Flor.* tit. 117, 8 Ed. Gaisf.

2) Pluribus hoc exponit P. Nieuwland *Dissert. de Musonio Rufo* edit. a doct. Venhuizen Peerlkamp p. 53 sqq. — Musonii aetatem idem refert ad Augusti, Tiberii et sequentium Imperatorum tempora p. 10. Cf. de eodem Heerenus *Comm. de font. eclog. Stob.* in edit. sua T. II. P. II. p. 205.

sophos, et discere ab iis, quae prosint, quae obsint; quibus si obtemperaverit, placide senectutem acturus est, neque instantem reformidabit mortem. Mortem enim, quam ex rerum natura omnem et optimam adeo vitam manere videat, non amplius verebitur, sed placido et laeto accipiet animo. Nihil vero huc valent divitiae, quas nonnulli magnum solatium esse senibus putant, quippe quae voluptates quidem corporeas praebere possint, *οὔτε δὲ εὐθυμίαν οὔτε δὲ ἀλυπίαν οὐδαμοῦ τῷ κεκτημένῳ παράσχοιεν ἄν.*

De senectute quoque scripsit *Favorinus*, philosophus Arelatensis ex Gallia, qui Imperatore Hadriano vixit, et plurima composuit opera, tam historica, quam philosopha, quae tamen ad unum omnia perierunt. 1) Repcriuntur vero apud Stobaeum fragmenta quaedam ex eius libro *περὶ γήρως*, quibus plurima bona in senectute adesse contendit. Quicumque enim, sic ait, voluptate abstinet, sapiens est, quicumque eam non desiderat, beatus. Ad utrumque igitur idonea est senectus, quae homines et prudentiores reddit, et voluptatum negligentiores. 2) Voluptas autem, quae vere ita a sapientibus vocatur, est *χαρὰ καὶ τέρψις ἢ περιγίγνεται ἐκ τῶν καλῶν μαθημάτων καὶ τῶν ἐνδόξων κατορθωμάτων.* Haec autem adsunt seni, haec recordari semper potest, iisque

---

1) Favorini vitam enarrat Philostratus I. 8., eiusque mentionem saepius facit eiusdem discipulus Aul. Gellius et fragmenta nonnulla ex variis eius libris servavit Stobaeus. Cf. quae de eo monuerunt Cl. Schlosser *Universalhist. Uebers. der alten Welt*, Vol. III. P. II. p. 185 sqq. et Doct. Kayser ad *Philostratum* p. 181 sqq. De eo scripsit Forsman *Diss. de Favorino phil. Acad.* Abo 1780, 4. quam tamen inspicere mihi non licuit.

2) Stob. *Flor.* tit. 115, 22 et 24. Ed. Gaisf.

tanquam divitiis laetari, in quas nulla omnino est fortunae potestas. 1) Neque etiam metu mortis cruciari potest, quam veluti transitum ad meliorem vitam considerat, Platonis et Pythagorae dictum reputans, *τὸ γῆρας οὐκ ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ βίου ἐστι, ἀλλ' ἐπ' ἀρχῇ μακαρίας ζωῆς.* 2) Quumque omnibus sit moriendum, non est reformidanda mors, sed aequo animo exspectanda, et reputandum est senibus, similes se esse *τοῖς μετοικιζομένοις*, in quibus si quis prudens est, celeriter et sua sponte abit, qui vero nolunt, coguntur. Sic quoque mortis nihil refert, sponte an inviti eam obeamus, ubi instat illa, sequendum est homini, ideoque nostra quam maxime interest, ut sponte id faciamus. 3)

Teste Stobaeo, de eodem hoc argumento *Juncus* quoque librum scripsit, qui tamen eandem, ac caeteri, fortunam expertus est. Neque de scriptore quidquam constat, cuius, praeter Stobaeum, nullus alius mentionem facit. Ex suis igitur scriptis quum vir sit cognoscendus, Stobaeo plurimum debemus, qui, quatuor locis, satis ampla, ex eius libro *περὶ γήρως* descripta, nobis servavit fragmenta, quae satis inter se cohaerent, ut libelli ratio aliquo modo effici possit. Est autem dialogus, cui plures intersunt, 4) ex quibus unus senectutem malis abundare, neque ullo bono gaudere contendit, alius vero, ipse senex, hunc refellens, senectutis suscipit caussam, eamque non modo non vituperandam, verum laudandam

1) Stob. *Flor.* tit. 115, 23.
2) Stob. Ibid. tit. 115, 17.
3) Stob. Ibid. tit. 118, 28.
4) In fragmento enim apud Stob. *Flor.* tit. 117, 9 p. 447, Ed. Gaisf. alloquitur *τοὺς παρόντας*, tum etiam tit. 115, 26 p. 425 dicit: *ἐδόκει γάρ πως οὗτος ἐνίους τῶν παρόντων ταράττειν.*

quam maxime atque expetendam proponit. Singularis vero ac Platonica plane ratio est, qua hic verba faciens inducitur; ubi enim loquendi initium facit, sermones se non suos, sed ab antiquis sapientibus propositos, in medium prolaturum, modeste fatetur: deinde autem, de animo humano dicturus, non sua, sed philosophi cuiusdam verba, quae ipse audierat, refert, ut plane ad Socratis apud Platonem personam a scriptore fictus videatur. Ac si praeterea orationis elegantiam, perspicuitatem, simplicitatem, comparationes ex vita humana deductas, frequentem etiam heroum Homericorum mentionem respexeris, atque in primis, si sanam philosophandi rationem attenderis, quae plane Platonica est, non absurdum erit statuere, dialogi huius auctorem Platonis, si non discipulum, certe studiosissimum et egregium ex antiquis scriptorem fuisse. Haec de auctore sufficiant, ipsum adeamus dialogum.

Ut modo jam dixi, in dialogo inducitur aliquis, qui vituperans senectutem, quod hominem voluptatibus privet, et extrema sit vitae humanae aetas, adeoque proxima morti, multa deinde alia enumerat mala, quibus vulgo obnoxii sunt senes, morbos, corporis infirmitatem, ac pulchritudinis, virium, hilaritatis aliorumque amissionem.[1]) Quibus ab illo in medium prolatis, alius senectutis patrocinium suscipiens, ita fere loquitur. Antiquus nos sermo docet, res humanas nullum certum habere finem, vel ad bonum, vel ad malum, quum omnes modo pulchrae sint et bonae, si bonum dominum nactae sunt, modo turpes et malae, a viro malo possessae. Ita quoque de senectute et juventute est existimandum, quae vel bona vel mala esse videtur, ratione ipsius hominis, qui iis vel

1) Stob. *Flor.* tit. 116, 49.

bene vel male utitur. Ridiculum est enim, si juvenis vel senex mali quid perpetraverit, huius mali non eos ipsos, sed juventutem vel senectutem accusare, et si perquam sint boni, huius rei caussam non in eorum indole, sed aetate quaerere. Quo vero melius de utraque judicemus, ita pergit, audite, quae philosophus me quondam docuit. *Τὸ εἰλικρινὲς καὶ καθαρὸν*, quod divinae originis animo nostro inest, simul ac nati sumus, nobis benigna manu datur, minime particeps eorum, quae mentem humanam turbare solent; deinceps vero, enutrito et adulto corpore, subsequuntur cupiditates, quas comites accipit juventus, quaeque sub ea latentes, velut flagellis et calcaribus juvenes trahunt ad turpes amores, ad iram, ad insaniam, vel ad alia huiusmodi aeque vituperanda. At vero *αἵδε αἱ μυρίαι Σειρῆνες, αἱ τὸν πλεῖστον ἀπάγουσαι λεὼν ὥσπερ αἰχμάλωτον, οὐ θαῤῥοῦσι προσελθεῖν γέροντι· ἀλλὰ δὴ σὺν τῷ σώματι λήγοντι καὶ μαραινομένῳ τά τε αἴτια τῶν ἁμαρτημάτων ὑπέξεισιν, ἥ τε ψυχὴ αὐτοῦ μελετᾷ ἤδη, ὥσπερ καθ' ἑαυτὴν γιγνομένη, τὰ μὲν ἀνθρώπεια κακὰ φεύγειν, συνεῖναι δὲ σωφροσύνῃ.* Cuius quidem rei testes sunt juvenes, qui sui non compotes, in omnia ruunt, testes quoque sunt senes, qui moderata sua indole, justitia ac sinceritate, divinam suam probant originem. Hinc Agamemnon Nestorem senem Ajaci, Diomedi, Menelao, caeteris juvenibus praetulit, cum eoque solo de rebus gravissimis deliberavit. Hinc Themistocles juvenis, quoniam liberius vivebat, a patre exheredatus est; sed aetate provectus et senectuti proximus, dux fuit Graecorum, et patriam, immo totam Graeciam, a Persis liberavit. 1) Quodsi juvenem cum sene comparaveris, hic illi

1) Stob. *Flor.* tit. 117, 9.

multo anteferendus videbitur, quum aetate et rerum usu edoctus, peccatis se purgaverit; juvenis vero, prae fortitudine sua, quominus explicet bonam indolem, impeditur. Et vero hoc ipsum, sine cupiditatibus vivere, maximum Deorum est munus, quum omnibus contentus placide vivere possit, neque, ut juvenis, si res ei minus bene cesserit, aegre id ferat. Si mutilatus est senex, non senectutis hoc est malum, quum juveni idem possit evenire, sed hoc inter eos intercedit discrimen, quod hic in vigore aetatis summo afficiatur luctu, senex vero, quippe *ἐν δυσμαῖς τοῦ βίου*, placide id ferendum existimet. Pulchritudo autem, quam seni deesse deploras, vana est, quippe brevi temporis spatio evanescens. *Τὸ δὲ ἀληθὲς κάλλος, ὅπερ ἐκ θείας κοινωνίας ἔσχε τὴν ἀποῤῥοήν, καὶ ἦλθεν ἐπί τινας· τοῦτο δὲ οὔτε πόνος, ἢ λιμὸς, ἢ ἀμελεία τις, ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὁ πολὺς χρόνος δύναται ἀμαυρῶσαι, συγγενόμενον δὲ ὀτφοῦν καὶ συντραφὲν, οὐκ ὤφθη ποτὲ θᾶττον ἀπαλλαγὲν τῆς ἐκείνου ψυχῆς.* Adsunt praeterea seni auxilia amicorum, reverentia et dignitas, ubicumque procedit. *Ὥστε καὶ κατ' ἀγορὰν καί που ἐν θεάτροις ὀφθέντες, οἷα δὴ ἐν ἀγέλῃ βοῶν καὶ ἵππων οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῆς ἀγέλης, τὸ εὐπρεπὲς παρέχουσι δῆλον τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς· μάλιστα δὲ ἐν τοῖς ἱεροῖς θύοντες ἐστεφανωμένοι, περιβλεπτότεροι τῶν ἱερῶν* (fort. *ἱερέων*) *γίγνονται· ὅ τε νόμος αὐτοὺς ἐκείνους χειροτονεῖ τῇ Ἀθηνᾷ θαλλοφόρους.* Quod vero dixisti, a sene propius abesse mortem, quam a juvene, neque hoc in malis est ponendum: eadem enim mors omnes manet, neque ulla eius lex vel aetas a diis est constituta. At vero senex nactus jam bona, ea recordatur iisque laetatur semper, etiamsi instet mors; juvenis vero nullis fere vitae bonis fruitus, in eodem tamen vitae et

mortis discrimine versatur. Similis est senex ei, qui magno mari pernavigato, jubente gubernatore, navem relinquit, juvenis vero ei, qui in media navigatione, e nave elabitur, neque idcirco finem, quem sibi proposuerat, attingit. [1]) Omnia autem, quae fiunt, dissolvi deinde debent, ut adeo mundus, propterea quod originem habuerit, in ignem et aquam dissolutum iri dicatur. Homini quoque ex hac vita est decedendum, quod ipsi quam maxime expedit, quum mors vitae longe sit praeferenda. Abundat enim vita humana malis permultis, laboribus continuis, luctibus, doloribus, bellis, certaminibus, et quae sunt reliqua; ipsae adeo, quae vocantur, voluptates, verae non sunt, sed parvulae et falsae, quippe quae citius evanescant, quam oriantur, eaedemque expletae saepius dolore afficiant. Mors vero animum a corpore, quod tot malorum est caussa, sejungit, eumque deducit in *ἀειδῆ τόπον*, ubi judices, mendacii ignari, justos et injustos judicant, eosque, qui superiores e judicio discesserunt, in campos Elysios ad summam felicitatem ducunt, ubi animae sunt *φίλαι τε καὶ κοινωνοὶ δαιμόνων τε καὶ ἡρώων, οὓς τέως ἀκοῇ παραλαμβάνουσαι ἐθαύμαζον, στρατηγῶν τε καὶ βασιλέων οὐκ ἀπολείπονται.* [2])

---

1) Stob. *Flor.* tit. 115, 26.
2) Stob. Ibid. tit. 121, 35.

Caput III.

DE PHILOSOPHIS GRAECIS, QUI CONSOLATIONES DE EXSILIO DEQUE INTERITU PATRIAE SCRIPSERUNT.

Ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατή· ψυχῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος.
DEMOCRITUS.

Sanctissimus sane, si quis alius, fuit amor, quo antiqui ducebantur erga patriam, quam omnibus praeferendam, tanquam communem matrem venerabantur, quamque omnes omnium caritates unam complecti statuebant. Quo loco quum haberent patriam, fieri non potuit, quin aegerrime ferrent exsilium, quo extra eam vivere jubebantur, et omnibus destituebantur bonis, quae larga manu antea ipsis praebuerat patria. Neque tamen his defuit auxilium; opitulari enim iis studebant philosophi, et sanis argumentandi rationibus minuere dolorem, atque in calamitate illa solatium afferre nitebantur. Hinc complura exstiterunt opera, quibus philosophi, vel consola-

bantur exsules, vel universe de exsilio ita agebant, ut non magnam illam esse calamitatem demonstrarent.

Primus autem ex his memorandus est *Teles*, cuius *περὶ φυγῆς* libri satis amplum fragmentum servavit Stobaeus. 1) Quis vero ille et unde fuerit, ignoramus hodie; sententia enim eorum, qui eum Pythagoreum fecerunt, nulla auctoritate nititur. 2) Illud tamen ex eius scriptis effici potest, eius aetatem in tempora Stilponis et Ptolemaei Soteris incidisse, quum philosophi illius, tanquam aequalis sui, mentionem faciat, eiusque de exsilio verba fusius exponat. 3) Argumentandi autem eius ratio in fragmento apud Stobaeum, sic fere procedit. Exsilium, ait, quare malum diceremus? Nulla enim bona neque animi neque corporis aufert, et quoad opes atque res externas, multi per exsilium meliorém nacti sunt fortunam, teste Lycino, qui, quamvis exsul ex Italia, urbi nostrae praefuit, testibus Hippomedonte Lacedaemonio, Chremonida et Glaucone Atheniensibus, qui senatoria apud nos dignitate gaudent. Ac licet exsuli saepius privata sit agenda vita, sua tamen peritia in omnibus rebus, tam dome-

---

1) Stob. *Flor.* tit. 40, 8.

2) Inter Pythagoreos eum recenset Fabricius *Bibl. Gr.* Vol. I. p. 523, cui adstipulantur Lipsius et Ruhkopfius ad Senecae *Consol. ad Helv.* c. 9. Quodsi revera fuit Pythagoreae disciplinae studiosus, mirum sane, a Jamblicho eum non in catalogo Pythagoreorum (cap. ult. *de vita Pythag.*) memorari.

3) In fragmento enim Stobaei dicit: *τὸ τοῦ Στίλπωνος, ὃ καὶ πρώην εἰπόντι λέγειν φησίν κ. τ. λ.*; tum etiam: *Λυκῖνος ἐκεῖνος οὐ παρ' ἡμῖν ἐφρούρει φυγὰς ὢν ἐκ τῆς Ἰταλίας, πισιευόμενος παρ' Ἀντιγόνῳ,* et paulo inferius: *Ἱππομέδων ὁ νῦν ἐπὶ Θράκης καθιστάμενος ὑπὸ Πτολεμαίου.* Cff. Wyttenb. *Disp. de auct. libri de puerorum educat.* in Opusc. Vol. I. p. 476, et Welcker *Prodikus vom Keos* (*Rhein. Museum* Vol. I. p. 606).

sticis, quam alienis, etiamsi magistratum non obierit, uti potest. At vero, inquies, grave est exsuli, quod in patriam redire nequeat. Sed alia etiam sunt, quibus in patria degenti tibi aditus praeclusus est, ut Thesmophorium, quod tamen nemo aegre ferre solet; praeterea hac in re melior est exsulis conditio, quod civitatem, quae ipsi displiceat, deserere et aliam petere possit, qui vero patriam incolit, eam deserere nequeat, si boni civis fungi velit officio. Neque exsilium viro bono probrum est, sed potius iis, qui ipsum e civitate ejecerunt, ut adeo ipsi magis honori, quam ignominiae sit, si solum verterit prae malorum invidia. Neque magni est faciendum, in ea civitate, ubi nati et educati sumus, totam degere vitam et mori; ut enim in aedibus, in quibus primum adspexisti lucem, vivere noles, si ruinam minantur, sic quoque in patria amplius vivere recusabis, ubi boni a malis opprimuntur. Quodsi veram exsilii naturam consideraveris, sola opinione esse malum tibi videbitur. Exprobrantur enim nonnulli, quod Cyprii sint vel Myconii, qui tamen ipsi suam civitatem relinquere nolunt, sed perpetuo in ea degere flagrant. Melius igitur Lacedaemonii *οὐδὲν τῶν τοιούτων ὄνειδος ἡγοῦνται· ἀλλὰ τὸν μὲν μετασχόντα τῆς ἀγωγῆς καὶ ἐμμείναντα, κἂν ξένος, κἂν ἐξ εἵλωτος, ὁμοίως τοῖς ἀρίστοις τίμωσι· τὸν δὲ μὴ ἐμμείναντα, κἂν ἐξ αὐτοῦ τοῦ βασίλεως, εἰς τοὺς εἵλωτας ἀποστέλλουσιν.* Neque probrum est, extra patriam sepeliri; ut enim ait Aristippus, nonne undique, una eademque in orcum est via? Quid differt in patria, an alibi, sepeliaris, utrum ab igne combustus, an a cane comesus jaceas? non enim eos infelices praedicamus, qui in mari vel in bello ceciderunt, quos tamen nemo in rogo combustos apte componit.

Hactenus Teletis fragmentum, nihil amplius de eius libro περὶ φυγῆς constat. Quocirca ad *Philiscum* accedamus, cuius verba, ad Ciceronem de exsilio suo consolandum, in historia refert Dio Cassius.[1]) Quis vero ille fuerit Philiscus, non liquet, quum multi huius nominis fuerint, quos ad Dionis locum recensent interpretes. Neque id multum ad rem facit, nam Dio Cassius ipse, historicorum more, hos sermones finxisse videtur, eosque tribuisse Philisco, philosopho cuidam non insigni, quod ex eius verbis, Φιλίσκός τις ἀνὴρ, efficere licet.[2]) Ita autem hic Ciceronem ad animi aequabilitatem revocare studet, ut primum eum reprehendat, quod vir tantae doctrinae,

---

1) Dio Cassius lib. XXXVIII. cap. 18 — 30. — Hanc Philisci consolationem jampridem Latine vertit Jo. Aurispa Siculus, vir eximiae doctrinae, qui ab anno 1369 — 1459 vixit. (Tiraboschi *Stor. della lett. Ital.* T. VI. P. I. p. 1007 sqq.) Quam versionem, editam Parisiis a. 1510, mirum est, non adhibitam esse a Dionis interpretibus, ut inde Graeca corrigerent, quum optimis Codd. usus esse videatur. Sic e. g. verba (cap. 28) μὴ πάντα αὐτὸν ἄλλοις βιῶναι, ἀλλ' ἤδη τι καὶ σεαυτῷ χαρίσασθαι· σκέψαι δὲ, quae in prioribus editionibus aberant, quaeque primus ex Cod. Mediceo protulit Gronovius, Latine in versione Aurispae leguntur. Exstat autem haec versio in Ms. in Bibl. huius Acad.

2) Fabricius ad h. l. Philiscum hunc Epicureum fuisse opinatur, quod in sermonibus hisce indolentiam, ut Epicurus, laudat. Attamen, ut supra monuimus, Epicurus in consolatione minime commendavit, sed contra oppugnavit ἀπαθείαν. Si vero ex eius verbis apud Dionem Cassium argumentum capiendum est, potius eum Stoicum diceres, quum docere studeat, exsilium non esse malum, quam consolandi rationem Stoicis in primis placuisse, supra vidimus. De bonis autem externis ita ratiocinatur, ut iis non omnem felicitatem contineri, sed ea, quae ad vitam sustentandam sint necessaria, homini sufficere contendat. Quodsi praeterea rationem attendis, qua de quatuor virtutibus cardinalibus, quae vocantur, de ignominia deque fato loquitur, potius eum Stoicae, quam Epicureae sectae, addictum fuisse diceres.

qui alios saepius esset consolatus, nunc ipse despondeat animum: deinde vero ipsi ostendat, exsilium haud esse malum. Adsunt enim tibi, ait, bona valetudo et omnia necessaria, ideoque, quae ad sustentandam vitam faciunt, habes affatim. Si vero luges, quia caeteras opes amisisti, non aegre hoc ferendum est, quum omne, quod praeter necessaria habeamus, superfluum sit, neque referat, adsitne an desit. Opes praeterea illas non a patre accepisti, sed dicendis orationibus tibi comparasti, ut mirum non sit, eadem ratione te illas denuo amisisse. Conquestus autem es, animum tibi prae dolore minus bene sese habere; sed animo, quippe divinae naturae, medicina comparari facilius potest, quam corpori. Adsunt enim tibi omnia animi bona, quae vir probus habere potest, prudentiam dico, justitiam, temperantiam, fortitudinem, quamquam tu de hac nonnihil detraxisse videris, quippe eo, quod tibi praeter spem accidit, labefactatus. Quod autem exsilium cum ignominia conjunctum dicitur, neque hoc verum est: quid est enim ignominia? Exstat tantum in opinione hominum, ut, quod alii summopere laudant, ab aliis culpetur. Exsilium est peregrinatio; peregrinantur autem nonnulli per totam vitam, idque summa voluptate; tu vero moleste feres, quod alii in deliciis habent? Ne mihi objicias, illos id volentes, te vero invitum hoc facere; haec enim eadem sunt; nam qui nolens corporis exercitationi se dedit, non minus sibi roboris acquirit, quam qui ultro id facit. Verissimum est vetus hoc effatum: *δεῖ ἡμᾶς μὴ, ὅσα ἂν βουλώμεθα, ἀξιοῦν γίνεσθαι, ἀλλ', ὅσα ἂν ἔκ τινος ἀνάγκης γίνεται, βούλεσθαι.* Non enim ipsi nostram eligimus vitam, sed quidquid decrevit fortuna, hoc accipiendum ac perferendum est. *Καίτοι ἔγωγε ἀκούω τοῦθ', ὅτι οὐκ*

ἄκων, οὐδ' ἄλους μετέστησας, ἀλλ' ἐθελοντὴς ἐμίσησας (fort. ἐθελοντὴς, μισήσας) τὸν μετ' αὐτῶν βίον· ἅτε μήτε βελτίους σφᾶς ποιῆσαι δυνάμενος, μήτε συναπολέσθαι σφίσιν ὑπομένων· καὶ ἔφυγες οὐ τὴν πατρίδα, ἀλλὰ τοὺς ἐπιβουλεύοντας αὐτῇ. Ὥστ' ἐκεῖνοι μὲν καὶ ἐξόριστοι εἶεν ἂν καὶ ἄτιμοι, πάντα τἀγαθὰ ἐκ τῶν ψυχῶν ἐκβεβληκότες· σὺ δὲ ἐπίτιμος καὶ εὐδαίμων, μήτ' ἀτόπως [1]) τινὶ δουλεύων, καὶ πάντα τὰ προσήκοντα ἔχων. Neque tibi, qui praeclare de civitate meruisti, sed illis lugendi copia adest, qui injuste te solum vertere coëgerunt; neque tu malles in civitate manere, velut adjutor Catilinae maleficiique reus, quam recte agendo in exsilium abire Praeterea non loca ipsa felicitatem aut infortunium afferunt, ἀλλ' αὐτὸς ἕκαστος αὑτῷ καὶ πατρίδα καὶ εὐδαιμονίαν ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ποιεῖ, quod luculenter in Scipione, Aristide, Themistocle, aliisque bene multis, comprobatum videmus. Spes praeterea tibi adest, fore ut brevi in patriam reversus, iisdem, quibus antea, et majoribus orneris honoribus, quum in seditionibus semper, probis viris e civitate ejectis, brevi populum injustitiae suae poeniteat, omniaque in pristinum ordinem restituere conetur. Cuius rei documento sunt cum alii permulti, tum Camillus exsul, qui Capitolium liberans meliore deinde usus est fortuna. [2]) Quocirca aequi bonique con-

---

1) Aurispa legisse videtur: ἀτόπῳ τινὶ, vel ἀτοπίᾳ τινὶ, vertens: *quum nulli turpitudini inservias*, quae lectio vulgatae praeferenda est, quippe respondens verbis praecedentibus: πάντα τἀγαθὰ ἐκ τῶν ψυχῶν ἐκβεβληκότες.

2) Graece sic legitur: μέμνησθε μὲν, ὅπως ὁ Κάμιλλος ὁ φυγὰς ἄμεινον τοῦ Καπιτωλίου μετὰ ταῦτα ἀπήλλαξε, qui locus sine dubio corruptus est, unde legendum conjecerunt nonnulli ἀμείνων τοῦ Ἀπουληΐου (erat enim Camillus a L. Apulejo

sulas, quaeso, exsilium, et Xenophontem ac Thucydidem imitatus, divertas in agrum, ibique scribendo et philosophando immortalem tibi compares famam, non reditum tuum urgens, quum postea, prae tua in dicendo libertate, graviora pati posses. [1])

De exsilio quoque *Musonius* praecepit, ut ex fragmento patet, quod Stobaeus ex eius libro *ὅτι οὐ κακὸν ἡ φυγὴ* desumtum exhibet. [2]) Nos vero, ut supra de eius libro de senectute significavimus, ita hoc quoque

---

trib. plebis furti postulatus) alii *ἀμείνων τοῦ Καπιτωλίου σωθέντος*, alii rursus *ἀμύνων τῷ Καπιτωλίῳ*, quamquam hac mutatione non totus locus restitutus videtur. Fortasse scripsit Dio: *ἀ μ ύ ν ω ν τῷ Καπιτωλίῳ ἄ μ ε ι ν ο ν μετὰ ταῦτα ἀπήλλαξεν*, ut librariorum imperitia exciderit vox *ἀμύνων*, propter vocis *ἄμεινον* similitudinem. Saepe enim *ἀπαλλάττειν* construitur cum adverbiis *καλῶς*, *κακῶς*, *ῥᾷον*, *βέλτιον*, aliis, e. g. Xen. Cyrop. l. IV. 1, 5 *οἱ μάχεσθαι ἐθέλοντες ῥᾷον ἀπαλλάττουσιν, ἢ οἱ οὐκ ἐθέλοντες*. Plutarchus p. 821 A. *οἶμαι δ᾽ ἂν καὶ τὰς μελίττας ἀπαλλάττειν βέλτιον, εἰ τοὺς τρέφοντας ἀσπάζεσθαι ἐβούλοντο*, ubi significat *meliore fortuna uti*. Cf. Steph. *Thes. L. Gr.* p. 348 et Ast. *Lex. Plat.* Vol. I. p. 210. Sic quoque legisse videtur Aurispa, vertens: *recordare, quo pacto Camillus exsul, Capitolium liberans, postea magna cum gloria receptus fuerit.*

1) *Καίτοι πῶς μὲν οὐ δεινὸν, πῶς δ᾽ οὐκ αἰσχρὸν, ἀποτμηθῆναί τέ τινος τὴν κεφαλὴν, καὶ ἐς τὴν ἀγορὰν τεθῆναι· κἂν οὕτω τύχῃ, κἂν ἄνδρα τινὰ αὐτῇ, κἂν γυναῖκα ἐνυβρίσαι;* Quae verba in primis displicuerunt interpretibus, quibus mirum videbatur, Philiscum singula haec praedicere Ciceroni, quae deinde ipsi accidisse refert Dio Cass. l. 47, p. 331 C. D. Fortasse haec e margine in textum a librario sunt traducta, quum Aurispa verba: *κἂν οὕτω — ἐνύβρισαι* in versione sua non receperit, ac legisse videatur *ἐν τῇ ἀγορᾷ τεθνῆναι*, vertens: *at nonne durum, nonne turpe cuique caput amittere, atque in foro mori?* Quibus mutatis, nihil est, quod offendat.

2) Stob. *Flor.* t. 40, 9.

fragmentum non ex ipsius philosophi libro, sed potius ex ἀπομνημονευμάτων opere, a Claudio Pollione, ut videtur, composito, descriptum putamus. In fragmento autem apud Stobaeum, Musonius exsulem, qui desiderio patriae aegerrime ferebat exsilium, hunc fere in modum consolatur. Ignavi est viri, inquit, plorare exsilium, quum nullis nos bonis privet, una tantum excepta totius universi particula. Ubivis enim eadem habentur, quae in patria laudamus, aqua, aër, terra, sol cum astris, homines et amici nostri; sinceri enim amici ubicumque terrarum nos sequuntur, a falsis vero deseri, ne malum quidem putandum. Omnium autem hominum, ut ait Socrates, communis patria mundus est, huiusque urbis, cui praeest Jupiter, quisque bonus civem se praedicat. Neque exsilium impedit, quominus quis suis rebus prospiciat virtutemque exerceat: contra vero plurimum eo conducit, quum otium praebeat et opportunitatem multa discendi. Sed ignavi id malum ducunt, quod necessariorum abundantia destituti, prae ignavia sua vires intendere nesciunt; boni vero prudentesque viri ubique laete vivunt, quum in patria corporis animique facultates exercere consueverint, quod Ulyssis, Themistoclis, aliorumque exemplis comprobatum videmus. Neque ignominiam eos, qui solum verterunt, persequi, testes sunt Aristides, Hermodorus, Diogenes, Clearchus, qui vel in exsilio, vel postea in patriam reversi, summis ornati sunt muneribus. Exsules praeterea summa utuntur παῤῥησίᾳ, et omne quod volunt, dicere possunt, aeque atque illi, qui in patria vivunt, neque, si justi ac boni sunt, reformidant poenam vel mortem, si de veritate agitur. Haec autem Musonius de exsilio dicta, suo exemplo comprobat: se enim, quamvis exsulem, ta-

men summa libertate loqui, neminem suspicere, neque dolore affectum, aegre suam ferre sortem. Nam, sic pergit, etiamsi aliqua re nos privet exsilium, tamen bona, quae vere ita dicuntur, auferre minime potest: *οὔτε γὰρ ἀνδρείαν, ἢ δικαιοσύνην ὁ φεύγων ἔχειν κωλύεται, διὸ φεύγει, οὔτε σωφροσύνην, ἢ φρόνησιν, οὐδ' ἀρετὴν ἄλλην ἡντινοῦν, αἳ παροῦσαί τε κοσμεῖν καὶ ὠφελεῖν πεφύκασι τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἐπαινετὸν ἀποφαίνειν καὶ εὐκλεῆ, ἀποῦσαί τε βλάπτειν καὶ καταισχύνειν, κακὸν ἀποφαίνουσι καὶ ἀκλεῆ.* Si enim bonus et fortis es, repelles dolorem; si vero ignavus, non exsilium, sed ignavia tua te dolore afficiet. Alterutrum autem est necessarium, te vel injuste vel juste solum vertisse; si injuste, non tuum, sed eorum, qui ejecerunt, est damnum et ignominia; si vero juste, quare viris justis iratus es? *τὸ μὲν γὰρ ἀδικεῖν, νὴ Δία, θεομισέστατόν ἐστιν, ὅπερ ἐκείνοις συμβέβηκε· τὸ δ' ἀδικεῖσθαι, ὅπερ συμβέβηκεν ἡμῖν, καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις τοῖς ἐπιεικέσιν ἐπιμελείας, ἀλλ' οὐχι μίσους ἄξιον εἶναι ὑπείληπται.*

Agendum jam nobis est de *Plutarcho*, cuius liber de exsilio, ut caeterae consolationes, summo philosopho perdignus est. Etiamsi enim in eo inveniantur nonnulla, ita cum Musonii dictis convenientia, ut eum imitatus, vel uterque ex communi fonte hausisse videatur, exempla tamen historiarum, praecepta philosophorum, sententias poetarum, et omnino alienae copias doctrinae ita adhibet, ut non subito aliunde arreptae, sed dudum lectae et conditae, jam cum scribentis copiis coaluisse videantur. 1) Epistola autem est, qua amicum quendam in exsilium Sardes profectum, eamque calamitatem aegro

---

1) Vid. Wyttenb. annot. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* Vol. VI. p. 696.

ferentem animo, consolatur. Primum igitur eos vituperat, qui amicos sese nostros praedicantes, nobiscum lugeant, neque lenire, sed potius augere dolorem nostrum studeant; praestare vero, ut dicamus: *οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇ.* Calamitatum enim, sic pergit, tanquam onerum examinanda sunt pondera, quod si fecerimus in exsilio, opinione sola, non vero natura id esse malum patebit. Sed ponamus, exsilium esse rem duram et gravem; in cibis vero, si quid amarum est, quid agimus? nonne dulce quid iis admiscemus, ut depellamus amaritudinem? Hoc item in malis faciendum. Reputanda sunt bona, quae nobis adsunt, horumque vi illa sunt minuenda. Duo vasa in aula sunt Jovis, malis alterum, alterum bonis repletum, quorum non Jupiter, sed nos ipsi sumus quaestores, ut non separata mala lugeamus, sed bonis temperemus. Sic autem faciendum in iis, quae vere mala sunt; ea vero, quae mala videntur, neque sunt, accuratius sunt examinanda. In his est exsilium. Natura enim, ut ait Aristo, nullam nobis dedit domum, nullam patriam, sed fiunt tales possessione diuturna. *Οὐκ Ἀθηναῖος, οὐδὲ Ἕλλην,* dicebat Socrates, *ἀλλὰ κόσμιος εἰμὶ· ταύτης τῆς πατρίδος οὔτε φυγὰς, οὔτε ξένος, οὔτε ἀλλοδαπὸς, ὅπου τὸ αὐτὸ πῦρ, ὕδωρ, ἀὴρ, ἄρχοντες οἱ αὐτοὶ καὶ διοικηταὶ καὶ πρυτάνεις, ἥλιος, σελήνη, φώσφορος· εἷς δὲ βασιλεὺς καὶ ἄρχων, Θεὸς, ἀρχήν τε καὶ μέσα καὶ τελευτὴν ἔχων τοῦ παντὸς.* Quid igitur luges, quod non in patria, sed Sardibus habites? eandem ibi lunam, solem, caetera vides; natura nos liberos et solutos fecit, nos vero nosmet devincimus et in angustiis concludimus. Quodsi recte omnia consideramus, ille, qui unam urbem incolit, hospes est in caeteris, neque justum censetur, sua relicta,

in aliam tendere; Spartam e. g. elegisti, ibi manendum est tibi, etiamsi sit obscura, morbis obnoxia et seditionibus turbetur; exsuli vero ubique esse licet. Philippus, quum cecidisset, et surgens in pulvere suam videret imaginem, exclamavit: «Dii boni! universum terrae orbem appetimus, tam exiguam terrae particulam concedente natura.» In parvis autem insulis multi felices fuerunt, curis quippe et molestiis liberati. Admiremur idcirco et imitemur Xenophontem aliosque, qui exsilium non aegre tulerunt, sed in agro philosophiae et libris conscribendis se dederunt. Quiete enim ibi gaudes, quam frustra quis in patria quaerit, publicis quippe et privatis rebus occupatus, et a variis hominibus studiis suis ereptus. Reputandum est insuper, quam pauci in patria sua sint sepulti, ut Euripides in Macedonia, Aeschylus ac Simonides in Sicilia; quodsi eos gloriam et honores captasse dicis, adeas sapientes, qui in Academia, Lyceo, Stoa inclaruerunt, quique fere omnes aliunde fuerunt. Ipsae adeo Musae *Φυγὴν* acceperunt comitem, quod in Xenophonte, Thucydide, aliis videmus, qui e patria se ejectos non dolentes, sed ratione sua usi, gloriam sibi conciliarunt, dum illi, qui eos ejecerunt, ignoti fere manserunt. Neque audiendus est Euripides, qui exsilium magnum esse malum contendit, quod auferat dicendi libertatem, exsulemque servo reddat similem, quoniam dicere non audeat, quod sentiat.[1]) Nam sapiens tum silentium tenet, ubi id melius existi-

---

1) Praeter alia loca, quae Musonius et Plutarchus communia habent, hic in primis est notandus, quum uterque hos Euripidis versus laudans, eadem fere ratione eos refutet, ut alter alterum imitatus, vel uterque ex eodem fonte sua duxisse videatur.

mat, neque idcirco servi, sed cordati hoc est hominis. Exsulem enim dicendi agendique libertate non privari, dilucide docent exempla Theodori, Diogenis, Hannibalis, qui fortiter non tantum regibus responderunt, sed acerbe eos etiam reprehenderunt. *Ἀλλὰ τὸ ἀγεννὲς πανταχοῦ τὴν φωνὴν ἐμφράττει, τὴν γλῶσσαν ἀποστρέφει, ἄγχει, σιωπᾷν ποιεῖ.* Pulcherrime autem Empedocles omnes in exsilio esse dicit, quum corpore terreno animus divinioris naturae indutus sit, ut animus non in peregrinatione, ut vulgo dicitur, sed potius in exsilio esse dicendus sit, exsilium dico eo gravius ferendum, quod de coelo in terram delatus, pulcherrimum locum cum exiguo miseriisque pleno commutavit. Plantae quidem unus locus crescendo est aptior alio, homini vero felicitatem virtus et prudentia unice, non locus affert; hinc Socrates in carcere, cicutam bibens, cum discipulis philosophatus est, Phaëthon vero et Tantalus, licet in coelum delati, prae stultitia sua maximis versari dicuntur calamitatibus. Haec igitur omnia si reputaveris, sic libro finem imponit Plutarchus, insanus profecto eris, exsilium malum habens, quum nihil ad veram felicitatem faciat.

De interitu autem patriae, de quo jam est agendum, unum tantum ab antiquis memoratur scriptum consolatorium, a Clitomacho, Carneadis discipulo, compositum. Fuit autem ille Carthaginiensis, et patrium nomen habuit Asdrubalem, deinde vero Athenas, ut Carneadem audiret, delatus, Graecum Clitomachi nomen assumsit. Neque tamen uni sectae addictus, sed in Platonicae, Peripateticae, Stoicae familiae placitis versatus fuit.[1]) Car-

---

1) Diog. Laërt. IV. 67. Cf. de Clitomacho Heynius *Diss. sur le*

thagine autem eversa, librum misit ad cives suos, quo ipsos de patriae interitu consolaretur, in quo scripta fuit disputatio Carneadis, quam in commentarium retulit. Initio autem libri ita positum erat, videri fore in aegritudine sapientem, patria capta; quam tamen sententiam falsam esse, disputatio deinde Carneadis demonstrabat. [1]) Liber autem hic non meliorem, quam caetera eius scripta, fortunam expertus, interiit totus. Servavit tamen Stobaeus duo Clitomachi fragmenta, quae ad hoc, de quo agimus, opus pertinere videntur, alterum: *οὐδὲν τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιόν ἐστιν, ἀλλὰ πάντα φέρεται φορᾷ τινι παραλόγῳ*, [2]) alterum vero hoc:

Τοῖς εὖ παθοῦσιν ἀντιπνεύσασ' ἡ τύχη
Τὰ πάντα συγχεῖ, πάντα ναυαγεῖν ποιεῖ,

τὰ τῇ φρονήσει καὶ τοῖς λογισμοῖς ὀρθῶς ἐκπεπονῆσθαι δοκοῦντα πρὸς τὸ καλῶς ζῆν. [3]) Quae si revera in libro eius de interitu patriae fuerint, sic consolatus videtur cives suos, ut nihil ipsis novi accidisse diceret, quum fortuna ita omnia perturbare soleat, ut prudentes adeo viri resistere ipsi minime possint. Nihil porro de opere illo conjicere licet, ut de re plane incerta; magnam tamen nos

---

phil. Clitomaque in *Mem. de l'Acad. de Berlin*, a. 1748, p. 295 sqq., (quae legitur etiam in Windhemii *Bibl. Phil.* Vol. IV.) et quae nuperrime de hoc philosopho, dialecticorum sectae auctore, dicta sunt a Doct. Lersch in *Zeitschr. für die Alterthumswiss.*, 1839. No. 21.

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 22. — Diog. Laërt. tamen IV. 65, Carneadem nihil scripto mandasse docet.

2) Stob. *Flor.* tit. 98, 67.

3) Stob. Ibid. tit. 105, 29. Grotius ultima haec verba metro adstrinxit, cui tamen non assentitur Gaisford, qui duos praecedentes versus, ornamenti gratia, a Clitomacho laudatos existimat.

deperdito illo libro jacturam fecisse, Cicero docet, qui, lecto libro, tantam affirmat in eo calamitatis praesentis adhiberi a philosopho medicinam, quanta in inveterata ne desideratur quidem. 1)

---

1) Cic. l. l. Cf. Heynius Op. l. p. 306. — Apud Romanos consolationem de patriae interitu scripsit Seneca *Epist.* 91, qua fortasse Clitomachi librum imitatus est.

PARS POSTERIOR

QUID PHILOSOPHORUM GRÆCORUM ARGUMENTIS CONSOLANDI TRIBUENDUM EST?

Nec sicci sint oculi, amisso amico, nec fluant; lacrimandum est, non plorandum.

SENECA.

Exposuimus philosophorum Graecorum et studia in loco philosophiae moralis, qui est de consolatione, et argumenta, quibus illi lugentium dolores auferre, vel sedare studuerunt. Dolemus profecto, ex tot scriptorum numero, tam pauca ad nostram aetatem pervenisse integra, ut exceptis Phaedone, Axiocho et Plutarcheis consolationibus, de caeteris nonnisi e paucis fragmentis judicandum sit. Hinc accidit, ut, quomodo in consolando diversam singulorum respexerint indolem, plane nos lateat. Ut enim varia hominum solet esse indoles et luctus natura, sic quoque diversa ratione singulis est adhibenda medicina. Egregium sane huius rei documentum habemus in Plutarcheis consolationibus ad Apollo-

nium et ad uxorem suam, quas si comparaverimus, continuo nobis diversa consolandi ratio apparebit. Ut enim ad Apollonium scribens, omnibus argumentis, quae ipsi suppeditabat philosophia, utitur, ut amicum, doctrina conspicuum, a luctu avocet, ita ad uxoris minuendum dolorem non philosopham instituit disputationem, sed ad muliebre eius ingenium sermones suos accommodans, adhortatur, obsecrat, crebraque laudatione id efficere studet, quod subtilibus argumentis nunquam exsequi potuisset. Idem procul dubio caeteri quoque philosophi Graeci in consolandis miseris attenderunt, quod rite in epistolis suis consolatoriis fecerunt Cicero et Seneca, quodque, judice Cicerone, praecipuum consolantis est officium, qui prudenter animadvertit: „ut in caussis non semper utimur eodem statu, sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accommodamus, sic in aegritudine lenienda, quam quisque curationem recipere possit, videndum est." 1)

Gravissima vero eademque difficillima quaestio, quid antiquorum argumentis consolatoriis tribuendum sit, nobis tractanda restat. Difficultas autem illa in eo maxime versatur, quod argumenta non ex nostra, sed ex Graecorum de rebus humanis cogitandi ratione, dijudicanda sunt. Plane enim, ut caetera omittam, diversa est a Graeco-

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 33. Pariter Seneca *Cons. ad Marc.* c. 2. *Aliter cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt et auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupentem.* Hinc patet, quid de iis statuendum sit, qui unam methodum invenire studuerint, qua omnium omnino aegritudinem sedarent, quosque jure reprehendit et refutat J. C. G. Ernesti *Auserl. Briefe Cicero's*, p. 58. sqq. et 154. sqq Cf. tamen Fest *üb. die gewöhnl. Beruhigungsmeth.* in *Beitr.* etc. Vol. I. p. 12 sqq.

rum religione, sanctissima nostra de Deo divinaque natura doctrina, quae tam mirifice ad sedandos omnis generis dolores valet, ut merito omnem optimamque consolationem sola continere dicatur. Diversae etiam a moribus legibusque nostris sunt instituta vitaeque ratio antiquorum, qui publicam in civitate vitam agentes, publica domesticis longe anteferenda ducebant. Graecis idcirco hoc illudve consolandi argumentum ad propositum multum facere videri potuit, quod nobis, religione Christiana collustratis, minus placet, nostraeque rationi minus convenit. Itaque illud in primis agendum videtur, ut singula argumenta per se, et, quoad eius fieri possit, ex Graecorum cogitandi agendique ratione explicemus. 1) Quo tamen ut paratiores accedamus, primum videndum et rite definiendum est, quid sit aegritudo; cuius notionem si accurate tenuerimus, optime hinc, quid sit consolatio et qualis esse debeat, ut assequatur propositum, patebit.

---

1) Id non rite attendit Sartorius in scripto, *Over de troostgronden der ouden bij den dood hunner kinderen*, quod legitur in *Magazijn voor wetensch. etc. verz. door V. Kampen*, Vol. I. P. II.

Caput I.

QUID EST ÆGRITUDO? QUID CONSOLATIO?

Ut medici ad morbum quemcunque curandum, eius caussam et originem ante omnia indagandam existimant, qua cognita, medicinam adhibere aegro, morbique vim frangere possint, sic quoque philosophi prae omnibus aegritudinis cuiuscumque caussam sibi explorandam duxerunt. Itaque sedulo inquisiverunt in animi humani perturbationes, laetitiam, voluptatem, metum, dolorem, earumque naturam et vim observarunt, ut inde, quae earum esset caussa, efficerent. Pro diversa tamen singularum sectarum ratione, diversa quoque eorum in luctus definienda caussa opinio fuit. Plato enim et Crantor naturam afferre dolorem statuebant, atque ita invehebantur in eos, qui omnem in consolatione sensum auferre studerent, quoniam mutuus inde exstingueretur amor. Adsentiebantur iis Peripatetici, qui longius procedentes, non modo naturales affectus, verum etiam utiliter a natura datas existimarunt. Cyrenaici contra et Stoici, qui multi in definiendis perturbationibus erant, aliam inierunt viam. Haec autem eorum, post longam disquisitionem, de aegri-

tudinibus fuit sententia, ut eas non natura sed opinione tantum constare, et prouti metum, mali cuiusdam impendentis, sic luctum, praesentis mali opinionem esse dicerent. Efficiebant autem id, cum aliis ex caussis, tum inde praecipue, quod tempore omnem luctum minui viderent, licet eadem maneret lugendi caussa. Quae quum esset universa eorum sententia, a se invicem tamen in definienda illa opinione aliquantum dissenserunt. Stoici enim dolorem omnis praesentis mali opinionem habuerunt, quum Cyrenaici nullam aegritudinem effici censerent, nisi insperato et necopinato malo, adeoque praemeditanda mala esse docerent. His vero sese opposuit Epicurus, qui omnem malorum praemeditationem vituperans, necesse esse dicebat, ut omnes essent in aegritudine, qui se in malis esse arbitrarentur.

Ex diversis hisce philosophorum de aegritudine sententiis, quae sit vera, quaeve veram ipsius naturam referat, haud facile est iudicare. Negari enim non potest plurimum ad efficiendum moerorem facere opinionem, malum quoddam nobis accidisse, eoque acerbiorem fore aegritudinem, quo magis menti nostrae infixa sit illa opinio. Neque tamen concedimus Stoicis, eandem sola opinione constare, atque contra naturam esse. Nam ut rite animadvertit Seneca: *cum primum nos nuncius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus, e complexu nostro in ignem transiturum, lacrimas naturalis necessitas exprimit, et spiritus, ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit et expellit; hae lacrimae per elisionem cadunt, nolentibus nobis.* 1) Ipse adeo Cice-

1) Seneca *Epist.* 99.

ro, qui tam copiose, tam magnifice in Tusculanis affirmat, dolorem esse in opinione, non in natura, quum solum vertisset, quum amisisset filiam, succubuit dolori et aegritudini; atque ita philosophum, eloquenter adversus aegritudines perorantem, ipse moeror docuit, dolorem non esse in opinione, sed esse naturalem.[1] Hinc item communis fere omnium philosophorum fuit sententia, non statim post acceptam calamitatem, sed tempore haud longo interjecto, adhibendam lugenti esse medicinam. Quodsi sola opinione constaret aegritudo, statim instituenda esset consolatio, quum recens adhuc sit opinio illa, neque penitus animo infixa, majorem requirat medicinam. At vero animus illius, qui calamitate quadam affectus est, praecipue qui parentem, filium amicumve morte amisit, etiamsi illam praeviderit, fere semper ita dolore tenetur et deprimitur, ut non cum aliis, sed solus esse cupiat. Non cogitat, sed sentit: non aliorum sermones audit, sed suam unice calamitatem ob oculos habens, de ea meditatur, et si adsunt amici, cum iis de infortunio suo colloqui avet. Ipsae adeo lacrimae et gemitus lenire aliquo modo recentem dolorem solent; quum enim luctus vehementia suffocare miseros videatur, ita lacrimae optimum doloris praebent levamen, unde Euripideum illud:[2])

1) Vid. Beroaldus *ad Cic. Tusc. Q.* III. 29. — Ipse quoque Cicero hac in re sibi non constitit, quum Ibid. c. 16. Epicurum reprehendens, dicat: *non est enim in nostra potestate, fodicantibus his rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio et oblivio. Lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt;* tum etiam Ibid. IV. 29, ubi in Tulliae obitu *se naturae attulisse vim* testatur, *ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet.*

2) Eurip. *Oenomao* apud Stob. *Flor.* tit. 112. 8. Similiter Obrimus apud Stob. *Flor.* tit. 122, 15 dicit: ἔστι δὲ ἀνθρώποις καὶ θρή-

Ἀλλ' ἔστι γάρ δὴ κἀν κακοῖσιν ἡδονὴ
Θνητοῖς, ὀδυρμοὶ, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί·
Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
Καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους.

Nihil igitur ille proficeret, qui recentes deprimere dolores, et rationibus philosophis minuere vel auferre luctum niteretur, iram potius ille lugentis commoveret, quam voti compos fieret. *Τότε μὲν οὖν*, sic Plutarchus ad Apollonium suum scribit, *ὑπὸ τὸν τῆς τελευτῆς καιρὸν, ἐντυγχάνειν σοι καὶ παρακαλεῖν ἀνθρωπίνως φέρειν τὸ συμβεβηκὸς, ἀνοίκειον ἦν, παρειμένον τό τε σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὸ τῆς παραλόγου συμφορᾶς· καὶ συμπαθεῖν δ' ἦν ἀναγκαῖον. — Τὸ μὲν γὰρ ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι τελευτήσαντος υἱοῦ, φυσικὴν ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς λύπης, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν.* 1)

Quodsi accuratius et caussam aegritudinis, et animi humani naturam indagaverimus, minime illam in opinione positam, sed naturalem esse inveniemus. Fert enim natura humana, ut in omni vitae conditione, quoad fieri possit, felicitatem assequi studeat: quo fit, ut quae nobis data sint bona, cupide amplectamur, eorum possessione gaudeamus, eaque eo majore prosequamur amore, quo efficacius ad felicitatem conducere videantur, et quo difficilius amissa reparari possint. Procedit hinc pietas et observantia erga parentes, quibus vitam, educationem, institutionem nostram debemus, qui sua commoda nostrae saluti postposuerunt, nihilque habuerunt

---

νων χάρις, καὶ ταύτην ἔδωκεν ἡμῖν παραμυθίαν ἡ φύσις ἐν ταῖς τύχαις. Cf. Plato *de Legg.* p. 559.

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 102 A et C. Cff. Cic. *Tusc. Q.* III. 31. Dion. Halyc. in *μεθόδῳ ἐπιθαφίων* p. 263 Reisk., Seneca *Consol. ad Helv.* init.

antiquius, quam ut liberorum et ingenium excolerent, et animum ad optima quaeque excitarent; hinc naturale illud amoris vinculum parentum erga liberos, ut quos susceperint, liberaliter instituant, eorumque felicitate et progressibus gaudeant, doleant vero infortunia. Si igitur verum est, hunc amorem cum nostra natura ita convenire, ut vix hominis nomine dignus sit, quicumque eo non ducatur; nonne absurdum est statuere, quae praesentia summam felicitatem attulerant, eadem amissa haud magnopere esse curanda? Num opinio est nostra, quae efficit, ut parentum, liberorum, amicorum, quos morte amisimus, desideremus amplexus, sermones, consilia, et quorum adspectus et colloquia miro nos semper affecerant gaudio, eosdem nunc crudelissime nobis ereptos doleamus? Stoici id docere in schola potuerunt, sapientemque formare, omni animi perturbatione liberum, at hominis non est, ita vim inferre naturae. Recte autem Plato, diligens ille naturae humanae perscrutator, duo ait in animo inesse principia, alterum τὸ ἥμερον, τὸ θυμοειδὲς alterum, quae, sibi contraria, recte sunt temperanda, ut ne alterutrum nimium excolendo, homo aut mollior fiat, quam par est, aut durior.[1]) Ubi igitur bonum aliquod nobis aufertur, vel malum nos premit, mollis illa animi pars commovetur, angitur, pristinamque suam conditionem recuperare avet. Corroborare autem eam possumus et debemus, per alteram duriorem animi partem, ut ne sola principatum teneat; si contra hanc

1) Plato *de Rep.* III. p. 411. Cf. *Init. Phil. Plat.* Vol. I. p. 156 sq. et Vol. III. p. 19. Pariter Cic. *Tusc. Q.* III. 6. *Sed est natura fere in animis tenerum quiddam atque molle; quod aegritudine quasi tempestate quatitur.*

unice exercemus, illam negligentes, sponte deducimur ad τὴν ἄγριον καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν· ἀφαιρήσεται γὰρ ἡμῶν αὕτη τὴν ἐκ τοῦ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν εὔνοιαν, ἣν παντὸς μᾶλλον διασώζειν ἀναγκαῖον.[1])

Non igitur Stoicis assentimur, aegritudinem, ut caeteras animi perturbationes, definientibus animi aversam a recta ratione contra naturam contractionem; sed potius Platone et Crantore ducibus, hunc doloris sensum naturalem esse dicimus.[2]) Veruntamen, quod rite in definienda eius notione est tenendum, naturalem hanc affectionem confirmant et augent saepius opiniones nostrae, sive verae, sive praejudicatae. Ex perpetua enim cogitatione calamitatis, qua affecti sumus, majorem illam saepe putamus, quam revera est, et addere solemus nonnulla ratiocinando, quae dolorem perquam alant. Etiamsi enim eadem sit caussa aegritudinis, tamen calamitas, quae inopinato accidit, gravius afficere et percellere solet animum, quam quae spectata venit. Au-

---

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 102. C.

2) Vid. Seneca *Cons. ad Helv.* c. 16, §. 7. *Scio, rem non esse in nostra potestate, nec ullum affectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur; ferox enim et adversus omne remedium contumax est. Volumus eum interim obruere et devorare gemitus, per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur.* Cf. Idem *ad Marc.* c. 7. Egregie autem Formey *Consid. sur la III. Tusc.* in *Nouv. Mem. de l'Acad. de Berl.*, 1786 p. 256 sq. *Toute passion est un mouvement de l'ame, qui lui est naturel ou essentiel, et dont la détermination ou le degré peuvent être conformes ou contraires à la raison. Voilà d'où il falloit partir, et l'on seroit arrivé à conclure, que l'affliction, qui n'est pas proprement une passion, mais l'effet de la douleur, peut être raisonnable ou déraisonnable, comme toutes les autres passions et leurs effets, suivant leurs objets ou leurs degrés.*

getur porro dolor eius, qui cognatum morte amisit, si reputat eum, quem tanto prosequebatur amore, privatum nunc esse omnibus vitae bonis, et ad eam adductum esse conditionem, ut nihil omnino sentiat; cruciatur praeterea animus moerentis, si dubitatio accedit de praesenti conditione defuncti, bonane sit an mala: videt corpus modo pulchritudine decorum, nunc vero frigidum ac deforme, modo dulcissimos proferens sermones, nunc mutum et inanimatum, neque persuadere sibi potest, nihil amplius ex carissimo defuncto, praeter duram istam molem, esse relictum: sperat fore, ut animus supersit ac meliore fruatur conditione; sed sperare id tantum licet, certo scire non licet. Angitur praeterea, injustitiam fortunae reputans, quae bonos haud raro et optimae spei juvenes, vel viros civitati utiles et virtute insignes vitae eripiat, quum tot vivere pergant, qui pravitate sua potius noceant, quam prosint societati. Suam igitur unice calamitatem ob oculos habentes, solos se miseros esse putant, fortunamque ipsos potissimum in gravibus casibus exercere, aegre ferunt.[1]) Hae opiniones autem accedentes, tantopere augent dolorem, tamque acerbe vexant et stimulant lugentem, ut animo demisso atque penitus perculso, vita vix ei vitalis esse videatur. Ut igitur, quid sit aegritudo, paucis comprehendamus, *naturalem* eam dicimus *animi affectionem, quae oritur ex desiderio amissi cuiusdam boni, quaeque opinionibus nostris acuitur et exasperatur.*[2])

---

1) Vid. de his Sartorius *over de troostgr. der ouden*, p. 159 sqq.

2) Vid. Seneca *Cons. ad Marc.* c. 7. *At enim naturale desiderium suorum est. — Sed plus est, quod opinio adjicit, quam quod natura imperavit.* Cf. Boëthius *de Cons. phil.* l. I. Pr. 6. fin. l. III. Metr. I. — Reinhard autem in opere, *de praest. rel. Chr. in consol. mis.* (*Opusc. Acad.* Vol.

unice exercemus, illam negligentes, sponte deducimur ad τὴν ἄγριον καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν, ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν· ἀφαιρήσεται γὰρ ἡμῶν αὕτη τὴν ἐκ τοῦ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν εὔνοιαν, ἣν παντὸς μᾶλλον διασώζειν ἀναγκαῖον.[1])

Non igitur Stoicis assentimur, aegritudinem, ut caeteras animi perturbationes, definientibus animi aversam a recta ratione contra naturam contractionem, sed potius Platone et Crantore ducibus, hunc doloris sensum naturalem esse dicimus.[2]) Veruntamen, quod rite in definienda eius notione est tenendum, naturalem hanc affectionem confirmant et augent saepius opiniones nostrae, sive verae, sive praejudicatae. Ex perpetua enim cogitatione calamitatis, qua affecti sumus, majorem illam saepe putamus, quam revera est, et addere solemus nonnulla ratiocinando, quae dolorem perquam alant. Etiamsi enim eadem sit caussa aegritudinis, tamen calamitas, quae inopinato accidit, gravius afficere et percellere solet animum, quam quae spectata venit. Au-

---

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 102. C.

2) Vid. Seneca *Cons. ad Helv.* c. 16, §. 7. *Scio, rem non esse in nostra potestate, nec ullum affectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur; ferox enim et adversus omne remedium contumax est. Volumus eum interim obruere et devorare gemitus, per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur.* Cf. Idem *ad Marc.* c. 7. Egregie autem Formey *Consid. sur la III. Tusc.* in *Nouv. Mem. de l'Acad. de Berl.*, 1786 p. 256 sq. *Toute passion est un mouvement de l'ame, qui lui est naturel ou essentiel, et dont la détermination ou le degré peuvent être conformes ou contraires à la raison. Voilà d'où il falloit partir, et l'on seroit arrivé à conclure, que l'affliction, qui n'est pas proprement une passion, mais l'effet de la douleur, peut être raisonnable ou déraisonnable, comme toutes les autres passions et leurs effets, suivant leurs objets ou leurs degrés.*

getur porro dolor eius, qui cognatum morte amisit, si reputat eum, quem tanto prosequebatur amore, privatum nunc esse omnibus vitae bonis, et ad eam adductum esse conditionem, ut nihil omnino sentiat; cruciatur praeterea animus moerentis, si dubitatio accedit de praesenti conditione defuncti, bonane sit an mala: videt corpus modo pulchritudine decorum, nunc vero frigidum ac deforme, modo dulcissimos proferens sermones, nunc mutum et inanimatum, neque persuadere sibi potest, nihil amplius ex carissimo defuncto, praeter duram istam molem, esse relictum: sperat fore, ut animus supersit ac meliore fruatur conditione; sed sperare id tantum licet, certo scire non licet. Angitur praeterea, injustitiam fortunae reputans, quae bonos haud raro et optimae spei juvenes, vel viros civitati utiles et virtute insignes vitae eripiat, quum tot vivere pergant, qui pravitate sua potius noceant, quam prosint societati. Suam igitur unice calamitatem ob oculos habentes, solos se miseros esse putant, fortunamque ipsos potissimum in gravibus casibus exercere, aegre ferunt. 1) Hae opiniones autem accedentes, tantopere augent dolorem, tamque acerbe vexant et stimulant lugentem, ut animo demisso atque penitus perculso, vita vix ei vitalis esse videatur. Ut igitur, quid sit aegritudo, paucis comprehendamus, *naturalem* eam dicimus *animi affectionem*, *quae oritur ex desiderio amissi cuiusdam boni*, *quaeque opinionibus nostris acuitur et exasperatur.* 2)

---

1) Vid. de his Sartorius *over de troostgr. der ouden*, p. 159 sqq.

2) Vid. Seneca *Cons. ad Marc.* c. 7. *At enim naturale desiderium suorum est.* — *Sed plus est*, *quod opinio adjicit*, *quam quod natura imperavit.* Cf. Boëthius *de Cons. phil.* l. I. Pr. 6. fin. l. III. Metr. I. — Reinhard autem in opere, *de praest. rel. Chr. in consol. mis.* (*Opusc. Acad.* Vol.

Explicita autem aegritudinis notione, videamus, quid sit, quidque spectare debeat consolatio. *Solari* proprie idem notat, atque *sublevare*, 1) ideoque communis huius vocabuli significatio est, minuere et auferre, quocunque tandem modo, molestiam quandam, unde apud poetas locutiones, *solari famem*, *amorem solari cantu*, aliae. 2) Sed proprium vocis sensum, qualem hic significamus, Graeca indicant vocabula *παραμυθεῖν* et *παρηγορεῖν*, quibus inest vis, sermonibus et alloquiis leniendi ac minuendi aegritudinem, unde Latinae voces, *alloqui* et *alloquium*, solandi quoque notionem habent. 3) Cumque aegritudo, ut modo vidimus, ex naturali sensu doloris et desiderio amissi boni originem ducat, quae tamen acuatur opinionibus, hinc duplex oritur consolantis officium, alterum, ut opiniones illas susceptas vel tollat, vel noxiam earum vim auferat, alterum vero, ut sensum illum minuat ac satisfaciat desiderio. Intelligitur autem hinc, quare una eademque consolatio non cuique lugenti accommodata sit, sed hoc sit consolatoris primarium munus, ut quas rationes excipere possit is, qui moeret,

---

II.) p. 304, ita definit aegritudinem: *animi affectio est, quae cernitur in dolore e cogitatione mali, quod ad nos pertinere putamus, perpetua.* In qua definitione illud offendit, quod doloris caussam unice in *cogitatione* mali ponit; cogitatio enim ad intellectum, aegritudo vero et dolor ad sensum referuntur; ubi enim aliquid amisimus, continuo deësse illud nobis sentimus, eiusque desiderio tenemur; cogitationis vero ea vis est, ut naturalem hanc affectionem alat et augeat. Melius idcirco idem scriptor, paullo superius, aegritudinem dicit esse *omnem molestiam e cogitatione et* s e n s u *mali ortam.*

1) Vid. Döderlein, *Lat. Synon. und Etym.* I. p. 153.

2) Virgilii aliorumque loca indicat Reinhard l. l. p. 303.

3) Varro *de Ling. Lat.* IV. 56. Cf. Muretus *Var. Lect.* II. c. 4. Vol. II. p. 35. Ed. Ruhnk.

videat. Sunt enim, quos ratio ita ducit, ut dolorem tantum sentiant, non vero opinione augeant: apud hos igitur officio suo defungetur consolator, si sensum illum sermonibus suis minuat, quum alii, quorum luctum perpetua mali cogitatio auxit, ut malum vix ferendum existiment, ita sint sanandi, ut prius iis detrahantur opiniones, quam ipsi dolori remedium adhibeatur. Itaque, quo accuratius singula dijudicemus philosophorum consolandi argumenta, utrumque hoc consolantis munus respiciendum videtur, ut primum eas rationes attendamus, quibus nimium tollere luctum, sive praejudicatas auferre opiniones studuerunt, tum vero disquiramus de ratione, qua lugentis animum erigere et sensum doloris minuere tentarunt.

Caput II.

DE ARGUMENTIS CONSOLATORIIS, QUIBUS NIMIUM TOLLERE LUCTUM ET OPINIONES, A LUGENTE SUSCEPTAS, AUFERRE STUDUERUNT PHILOSOPHI.

Dirum est in primis, ac plurimum valet ad lugentis et animum demittendum et augendum sensum doloris, ubi eum, quem crudelissima morte amisit, nunc mala conditione et infelicem esse reputat. Quam opinionem confirmabant maxime apud antiquos, tum fabulae, quae ferebantur de misera hominum post mortem statu, deque poenis, quas subire deberent defuncti, tum etiam dubitatio, et incertum illud, animusne post mortem vivere pergeret, an vero simul cum corpore interiret. Nihil igitur antiquius habuerunt philosophi, quam ut noxiam hanc lugenti detraherent opinionem, atque demonstrarent, mortem non in malis esse habendam. Qua in re ita versati sunt, ut dicerent: si mors interitus est totius hominis, nullum defuncto adesse malum potest, quum nullum amplius sensum habeat, si vero animus cum cor-

pore non exstinguitur, sed vivit, melior tum eius conditio erit, quum corporis vinculis liberatus, non amplius cupiditatibus et miseriis detineatur, sed ipse per se vivens, studia, quae in vita coluerit, perficere possit. Haec autem argumenta si accuratius perpenderimus, multum omnino valere videbuntur ad opinionem illam, quam diximus, auferendam: ad minuendam vero ipsam aegritudinem, parum sunt apta. Nam si quem in parentis, filii, vel amici morte ita consolaris, ut dicas, eum, cuius obitum lugeat, non male se habere, quod sensu prorsus careat, haud scio eius luctum magis augeas, an minuas. Quid enim parentem magis cruciabit, quam si filium, cuius ingenium excolere et formare animum, per totam vitam, studuerit, uno eodemque tempore non sibi tantum ereptum, sed omni sensu, omni vita destitutum, vermibusque totum traditum viderit, ut post paucos menses nihil omnino de carissimo capite superfuturum sit? Quid viro, qui in vita id unice egerit, ut virtutem coleret, et boni, justi, veri principiis animum suum imbueret, eumque pravis liberaret cupiditatibus, quid illi magis metuendum est, quam mors, quae omnia eius studia vigiliasque inania reddet? Haec autem cogitatio, hominem post mortem in nihilum redigi, scelestis quidem consolatio esse potest, qui tum injustitiae suae et improbitatis poenas se post mortem non luituros arbitrantur; sed justum virum non potest non penitus commovere et efficere, ut non nisi magno dolore et metu, se mortalem esse, meminerit. Cuius rei acerbitatem ut auferrent philosophi, mortem cum somno compararunt, qui nullis somniis turbatur. At vero quid in somno dulce est, nisi expergiscendi adest spes? In morte autem, cum illa desideretur, jucundi nihil inest, sed jacemus ligni vel saxi instar,

neque ulla tum differentia nos inter et animalia post obitum exstat, quum eadem omnes maneat sors, ut terra conditi putrescamus vermibusque comedamur. 1) Addiderunt autem philosophi aliud argumentum, quo mortem malum non esse demonstrarent, si animus cum corpore non exstingueretur, de quo tamen infra uberior disserendi locus erit. Illud tantum hic animadvertamus, non magnopere ad minuendum dolorem valere posse sermonem, quo duae sibi contrariae sententiae, de ipsa illa re, quam quis deplorat, ita proponuntur, ut, utra vera sit, non appareat. Nam qui reputat, nihil inter philosophos de futura animi conditione constare, metuere potest, ne praeter duas sententias propositas, tertia sit vera, animum humanum post mortem innumeris cruciari malis, ut v. c. per metempsychosin in animalium abeat corpora, horumque deinceps experiatur infortunia. Proprium enim hoc est naturae humanae, ut in re incerta et dubia, non bona, sed mala et terribilia sibi ob oculos proponat; hinc Maecenas omnes dolores perpeti, quam mortem obire malebat, hinc eius votum:

Debilem facito manu
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine. 2)

---

1) Cff. Meiners *Betracht. über d. Tod* in eius *Opusc. phil.* Vol. II. p. 195 sqq. et Formey *Consid. sur la I. Tusc.* in *Nouv. Mem. de l'Acad. de Berl.* a. 1784 p. 362 sqq.

2) Seneca *Epist.* 101.

Quodsi, quid argumentis hisce tribuendum sit, quaerimus; unice tum in lugentis animo vim habebunt, ubi infixa ipsi est opinio, hominem post obitum dira manere supplicia, atque ita ad minuendam hanc opinionem quodammodo valebunt. Non enim ea illorum vis est, ut moerentis animum ad tranquillitatem reducant, vel susceptam illam opinionem prorsus auferant, quum incertum adhuc maneat, qualis mortuorum sit conditio, neque iis demonstretur, animum, si vivere pergat post mortem, in malis esse non posse. 1) Quamobrem, quo magis moerenti probarent mortem defuncto malum non esse, afferre solebant philosophi narrationes de Cleobide et Bitone aliasque, inde colligentes, ipsos Deos aperte hominibus ostendisse, non esse in malis habendam mortem, quum eam tanquam virtutis praemium nonnullis concessissent. Haec autem argumentatio Graecis in primis placere debuit, atque id efficere, ut quam antea habuerant opinionem, dimitterent, quum divina auctoritate nunc iis esset persuasum, falso se existimasse, ac perperam in malis se habuisse, quod potius in bonis esset enumerandum.

Altera autem opinio, quae ad augendum moerorem perquam valet, animumque moerentis vehementer commovet, est ubi defunctum reputat omnibus huius vitae bonis esse privatum. Quod, etiamsi de omnibus, qui

1) Mirum est omnino, antiquos semper ita statuisse de morte, ut eâ vel omnem sensum amitti, vel felicitatem comparari dicerent, neque cogitasse, fieri posse, ut animus, post mortem, malis obrueretur. Sic v. c. Cic. *de Senect.* c. 19 dicit: *Mors aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest.*

supremum diem obierint, dicendum sit; tamen in primis valet de iis, qui immatura aetate cognatis suis atque amicis sint erepti, antequam, quae huius vitae habentur, commoda gustaverant. Quibus ita opitulabantur philosophi, ut quae vera esset vitae humanae conditio, indagarent, eamque proponerent paucis bonis gaudentem, abundantem vero calamitatibus et malis. Enumerabant idcirco molestias, quae homini inde ab eius ortu ad mortem usque evenirent, morbos, dolores, animi perturbationes, bella, seditiones, sexcenta alia mala, quae paucorum bonorum, quibus quis gaudeat, jucunditatem tollant prorsus. Hisce rationibus jam apud Homerum Achilles inducitur, Priamum consolans de Hectoris obitu, ubi ex fabula de utroque dolio, quod Jovis throno adest, cuius alterum malis, alterum bonis est repletum, quae deinde mixta Jupiter hominibus tradit, ostendit, non integra homini contingere bona, sed iisdem plurima admixta esse mala. Eandem quoque disputationem, ut supra vidimus, adhibuerunt Alcidamas, Prodicus, Hegesias, neque eam Aristoteles, Crantor, Plutarchus in consolationibus suis praetermiserunt. Valet autem ea plurimum, ut rectius de vita humana judicemus, neque defunctum bonis tantum privatum, sed plurimis etiam malis ereptum reputemus. Etenim mors optimum fere refugium videtur esse miseris. [1]) Hinc apud poetas Dii queruntur, quod immortalitate donatis, nullus ipsis adsit malorum luctusque finis:

---

1) Longinus *de Subl.* IX. § 7. *ἀλλ' ἡμῖν μὲν δυςδαιμονοῦσιν ἀπόκειται λιμὴν κακῶν, ὁ θάνατος.* Pariter Euripid. *Hyppol.* vs. 1387:

Εἴθε με κοιμάσειε τὸν δυσδαίμονα
Ἅιδου μέλαινα νύκτερός τ' ἀνάγκα.

Nec finire licet tantos mihi morte dolores,
Sed nocet esse deum; praeclusaque janua leti
Aeternum nostros luctus extendit in aevum. [1])

Hinc quoque vulgare hoc erat in consolationibus antiquis: *Μεῖον γὰρ ὄντως Τρωΐλος ἐδάκρυσεν ἢ Πρίαμος· οὗτος δ', εἰ ἐτελεύτησεν ἔτι ἀκμαζούσης αὐτῷ τῆς βασιλείας, προετελεύτησε καὶ τῆς τοσαύτης τύχης, ἧς ἐθρήνει.* [2]) Quae etiamsi verissima sint et plurimum faciant, ut persuadeatur lugenti, non esse, cur doleat, quod defunctus non amplius vitae gaudeat bonis, quum plurima mala humanae obstent felicitati; non tamen assentiendum videtur Ciceroni, dicenti: „continet autem *omnem sedationem animi* humana in conspectu posita natura, quae quo facilius expressa cernatur, explicanda est oratione communis conditio lexque vitae." [3]) Refert enim multum, utrum is, cui haec adhibetur consolatio, secundam, an adversam in vita fortunam expertus sit. Si omnia ipsi per vitam ex voto cesserunt, ac nulla graviore affectus est calamitate, haud ei facile persuadebitur, nihil habere vitam, quo se commendet; concedet fortasse, plurima adesse mala, quae impediant hominem, quominus ad veram perveniat felicitatem; sed malum esse, quod ipse bonum esse expertus est, nunquam concedet. Contra si non benigna, sed adversa fortuna usus, gravissima in vita mala perpessus est, tantum abest, ut disputatio de miseriis humanis salutarem in eius animo vim habeat, ut contra se infelicissimum putet, quippe qui etiamnunc hisce malis obnoxius sit. Beatum idcirco

---

1) Ovid. *Metamorph.* I vs. 661.

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 113 E. Locum de conjectura Wyttenbachii dedimus.

3) Cic. *Tusc. Q.* IV. 29.

praedicabit quidem defunctum, omni calamitate liberatum, atque ita eius luctus quodammodo minuetur; sed alia eum cruciabit aegritudo, quum diutius in pessima hac conditione ipsi manendum sit, qua nonnisi morte liberari possit. 1) Quam noxios autem effectus huiusmodi disputatio non rite instituta, habere possit, cum ipsa rei natura docet, tum etiam Hegesiae exemplum comprobavit. Qui, quum fuse copioseque vitae mala enumeraret, tantum auditoribus injecit odium vitae, ut violentas sibi manus sponte inferrent. Non igitur cum Cicerone in hac consolatione eam vim inesse dicimus, ut omnem sedationem animi contineat, sed id tantum ipsi tribuimus, ut doceat, non unice bonis gaudere vitam humanam; sed multis esse malis obnoxiam, atque ita defunctum non plorandum esse, quod bonis sit privatus, sed felicem esse praedicandum, qui malis istis sit ereptus. 2)

---

1) Universe id vituperandum est in consolationibus antiquis, quod magis mitigare dolorem studuerint, quam id efficere, ut is, qui moereret, placide deinde vitam ageret. Enumeratio enim malorum eo quidem valebat, ut defunctum beatum praedicaret, quippe his vitae malis ereptum; sed efficiebat simul, ut moerens vitam suam in odio haberet. Pariter Plutarchus ita uxorem in filiolae morte consolatur, ut dicat, animos, qui paullisper in corpore inclusi fuissent, statim ad Deos reverti, quum animi eorum, qui diutius vixissent, non statim eo pergant, sed prius alia induant corpora, quippe nimis assuefacti huic vitae (*Cons. ad ux.* p. 611 E. F.). Quae oratio in eius uxore id efficere debuit, ut, si fidem ei tribueret, filiolae quidem bene esse crederet, se vero miseram existimaret, quum felicitatis illius non statim post mortem particeps esset futura. Multi etiam erant philosophi antiqui in enumerandis senectutis malis, ut docerent, placide esse ferendam eorum mortem, qui juventute obiissent, non reputantes, si talis sermo apud senes instituatur, eam ipsius fore vim, ut aegrius illi suam conditionem ferant.

2) Assentiri minime possum Heynio in *Censura Boëthii de Consol.*

Ex eadem humanae conditionis disquisitione aliud eliciebant argumentum, a multis adhibitum in consolationibus, quo ostenderetur, solamen esse miseris, socios habuisse malorum. A poëtis jam antea id quam maxime erat celebratum. Hinc Euripides:

Γίγνωσκε τἀνθρώπεια, μηδ' ὑπερμέτρως
Ἄλγει· κακοῖς γὰρ οὐ σὺ πρόςκεισαι μόνη. —
Τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει.
Κοινὸν δ' ἔχοντες αὐτὸ κοινὰ πάσχομεν
Πάντες· τὸ γὰρ χρεὼν μεῖζον, ἢ τὸ μὴ χρεών. 1)

De hoc tamen consolandi argumento multum antiqui disputarunt philosophi, alii multum, alii vero nihil ei tribuentes. Carneades enim commemorationem alienorum malorum ad malivolos consolandos accommodatam esse

---

phil. (*Opusc.* T. VI p. 157) dicenti: *ipsa miseriarum humanarum apud poëtas enumeratio et rhetorum declamatio, dum delectat ornamentis suis, audientium animos, tanquam magico carmine defixos, sopore opprimit, curas solvit: unde fit, ut vulgo quoque in consolationis numerum et locum ea res referatur.* Ut enim mittam, talem de miseriis humanis declamationem nil magnopere habere, quo delectatione se commendet; non profecto intimo animo is commotus est, cuius aegritudo orationis ornamentis minuatur; respuit enim luctus omnem sermonis gratiam, sed firmis indiget argumentis, quae in eius animum penetrent. Quodsi haec declamatio alicuius lenierit dolorem, non tamen constans huius medicinae erit vis, adeo ut postea eo majore impetu irrumpat aegritudo; quod rite animadvertit Boëthius *de Consol. Phil.* l. II Pr. 3: *tum tantum, cum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum haec auribus insonare desierint, insitus animum dolor praegravat.* Cf. P. la Seine *de Hom. Nepenthe* in *Gronov. Thes. Ant. Gr.* Vol. XI p. 1379.

1) Apud Stob. *Flor.* tit. 124, 7 et 29 Ed. Gaisf., ubi plures huiusmodi poëtarum memorantur effata. Cf. Wyttenb. ad Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 106 B. Vol. VI. p. 719.

contendit, [1]) cui assentitur Seneca, [2]) quamquam hic, alio loco, maximum id solatium nuncupat. [3]) Cicero autem, qui in Tusculanis disputationibus Carneadis sententiam impugnans eam consolationem laudibus celebrat, [4]) ad Torquatum scribens eandem levem esse dicit. [5]) Antimachus contra, quum perdiderat dilectam uxorem, hac potissimum ratione aegritudinem suam minuere studuit, ut heroum enumeraret calamitates, [6]) neque eam displicuisse aliis, inde colligi potest, quod plerique eam in scriptis consolatoriis haud neglexerint. Ut igitur, quid hac de re statuendum sit, intelligamus, indagandum est ante omnia, quo illa referenda sit consolatio. Nam si eo spectaret commemoratio illa, ut alienis malis gaudere disceret is, qui ipse dolet, malivolorum omnino hanc consolationem esse et indignam, quae a philosophis adhibeatur, cum Carneade statueremus. Sed aliud spectat illa consolantis argumentatio. Fit enim saepius, ut qui calamitate oppressus est, ita abducatur ac deprimatur aegritudine, ita animum despondeat, ut suam unice sortem ob oculos habens, omnium, quotquot fuerunt, se miserrimum esse existimet. Hanc igitur opinionem lugenti ita detrahere conabantur, ut multos alios et fuisse et esse etiamnunc monerent, qui graviora essent perpessi. Hinc Niobes aliorumque innumeras referebant calamitates, hinc So-

---

1) Cic. *Tusc. Q.* III 25.

2) Seneca *Cons. ad Marc.* c. 12 § 5.

3) Id. *Cons. ad Polyb.* c. 21.

4) Cic. *Tusc. Q.* III. 24 et 25.

5) Cic. *Epist. ad Fam.* l. VI. Ep. 3.

6) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 106. B. Cf. Polyb. I. 1. ubi: *ἐναργεστάτη δὲ καὶ μόνη διδάσκαλος τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, ἡ τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησις.*

cratis memorarunt dictum, si omnium infortunia aequa lance inter homines distribuerentur, ut aequalem singuli acciperent partem, fore, ut sua quisque retinere malit. Democritus, Darium consolans de morte uxoris, quum eius dolorem sedare non posset, promisit, ut ipsius uxorem in vitam reduceret, si omnia, quae vellet, ipsi praeberet. Itaque primum eum in tumulo uxoris nomina *τριῶν ἀπενθήτων* scribere jussit. Quum autem rex, multis regionibus perlustratis, frustra quaesivisset, neque ullum invenisset, qui vitam sine dolore et luctu transegisset, tum philosophus: „quid igitur luges, ait, quasi tibi soli quid lugendum acciderit, quum ne unus quidem inveniatur, quem nullus unquam vexaverit dolor?" [1]) Egregie haec narratio, quo spectare debeat alienorum malorum commemoratio, declarat. Non enim eo valet, ut aliorum calamitatibus delectemur; sed ea vis huic inest consolationi, ut nostram conditionem non deteriorem habeamus, quam re vera est: ut intelligamus, malum, quo afflicti sumus, et ferri posse et ferendum esse, quum graviora alii sint perpessi, et gratias agamus Providentiae divinae, quae nobis adhuc parcens leviora patienda dederit. Quod rite attendit Plutarchus, ad Apollonium scribens: *ὥστε καταφανὲς εἶναι, ὅτι ὁ παραμυθούμενος τὸν λυπούμενον, καὶ δεικνύων κοινὸν καὶ πολλῶν τὸ συμβεβηκός, ἐκ τῶν καὶ ἑτέροις συμβεβηκότων ἐλάττονα τὴν δόξαν τοῦ λελυπημένου μεθίστησι, καὶ τοιαύτην τινὰ ἐμποιεῖ πίστιν αὐτῷ, ὅτι καὶ ἔλαττον, ἢ ἡλίκον ᾤετο, τὸ συμβεβηκός ἐστιν.* [2])

---

1) Vid. Juliani *Epist.* 37. Simili modo moerentem Herodem philosophum consolatus est Demonax, ut in eius vita scribit Lucianus c. 25, quem laudat Heylerus ad Julianum l. l.

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 106. C.

Quo autem magis moerentem ad animi aequabilitatem revocarent, ipsique persuaderent, ferenda esse, quae alicui evenirent mala, laudare atque imitanda proponere solebant exempla eorum, qui fortiter easdem tulissent calamitates, ut Anaxagorae, Xenophontis, Periclis, Demosthenis, aliorum, qui gravissimis afflicti malis, non luctu a rebus gerendis se avocari passi essent, sed ipsum oppressissent dolorem. Talis vero *ἀπαθεία*, qualis Anaxagorae narratur, qui, nuncio accepto de obitu filii, dixerit, sciebam me genuisse mortalem, nobis quidem placere nullo modo potest; admiramur quidem virum, qui vim inferre potuit naturae, amare vero eundem non possumus. Neque id omnibus placuisse Graecis, novimus ex Aeschine, qui acerbe in Demosthenem invectus est, quod, septimo die post filiae mortem, hostias immolasset: 1) quod profecto non fecisset, nisi tali oratione se adversarium populo invisum redditurum esse, sibi persuasum habuisset. Est vero aliud quid, si eorum imitanda proponûntur exempla, qui, ut officiis publicis fungerentur, deprimere conati sint moerorem; quum enim haec esset apud antiquos reipublicae ratio, ut ad eam omnia referrentur et una omnium caritates complecteretur, boni cuiusque civis habebatur, domestica mala patriae saluti postponere, atque ita summa erat laus, si privato incommodo non a publicis rebus gerendis avocaretur. Quod recte animadvertit Plutarchus, Aeschinis accusationem refellens: *τίθεμαι πολιτικῆς καὶ ἀνδρώδους ψυχῆς, ἀεὶ πρὸς τὸ κοινὸν ἱστάμενον, καὶ τὰ οἰκεῖα πάθη καὶ πράγματα τοῖς δημοσίοις ἐπανέχοντα, τηρεῖν τὸ ἀξίωμα ὡς μάλιστα.* 2) Multum autem huc facere exempla, nemo

1) Aeschin. *Orat. adv. Ctesiph.* p. 285 B. Cf. Cic. *Tusc. Q.* III. 26.
2) Plut. *vit. Demosth.* c 22. & *Cons. ad Apoll.* p. 119. C.

facile infitias iverit. Ut enim historia laudatur, tanquam vitae magistra, quia fortitudinis, constantiae aliarumque virtutum egregia praebet specimina; ad leniendum quoque dolorem valebit enumeratio exemplorum, idque efficiet, ut ille, qui moereat, ferendum sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse.

Haud rara est praeterea eorum, qui in luctu sunt, de injustitia fortunae querela, accusantes eam, quod optimos quosque, qui et familiae suae et reipublicae et vero societati humanae prosint, vel egregia sua indole profuturi sint, subita morte premat, parcat vero scelestis aliisque, quorum vita civitati magis sit oneri, quam ornamento. Quae opinio eo major erit, eoque acerbius lacerabit lugentem, quo magis ille, quem amiserit, virtutibus fuerit ornatus, adeoque ipsi longiore vita dignus visus fuerit. Augetur porro aegritudo cogitatione ac metu, ne ipsi culpa nostra huius calamitatis simus auctores, qua cogitatione nil atrocius lugenti esse potest, quum id, quod culpa sua factum esse putat, reparari nequeat. Neque defuerunt adeo philosophi, qui id in schola docerent. Peripatetici enim omnem aegritudinem luctumque quasi castigationem et reprehensionem esse docuerunt, ut peccatorum impunitas iis data videretur, qui mala ferrent sine dolore. [1]) Quam opinionem ut auferrent philosophi, ostendere conabantur, ea lege nos esse natos, ut nemo in perpetuum esse possit expers mali, jam inde ab ortu in nobis fuisse semina, e quibus morbi, mala et postremo mors orirentur, atque inde efficiebant, minime nostra culpa illa nobis accidisse, sed immissa esse a fortuna. Quumque ea vis fati sit, ut quae decreverit, nullo modo

---

1) Cic. *Tusc. Q.* IV. 19 sq. *de Off.* I. 25.

vitari neque restitui queant, ut factum infectum reddere ne Jupiter quidem possit, docebant porro, aequo animo ferenda esse mala, quum lacrimis et lamentationibus non modo nihil proficiamus, sed contra sortem nostram etiam infeliciorem reddamus. Huc spectant egregia illa verba, quibus ad consolandum Ciceronem usus est Sulpicius: „Ex Asia rediens, ait, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus; quae oppida, quodam tempore, florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum?" 1) Hoc autem argumento in primis usi sunt Stoici, idque efficacissimum habuerunt ad deponendum dolorem; neque illud aliis displicuisse philosophis, inde patet, quod plerique in consolationibus illud recipere haud dubitaverint. Ipse adeo Cicero haec de illo profert: „etiamsi, ait, haec oratio de ipsa summa mali nihil detrahat; tamen necessitas ferendae conditionis humanae, quasi cum deo pugnare prohibet, admonetque esse hominem." 2) Si autem, quid de hac solandi ratione dicendum sit, quaeris, hoc tantum ipsi tribuendum videtur, quod et culpae cogitationem detrahat et tollat opinionem de fortunae injustitia. Nulla est enim culpa, quum id, quod

1) Cic. *Epist. ad Fam.* l. IV. Ep. 5.
2) Cic. *Tusc. Q.* III. 23. et 25.

ab homine non potuerit praestari, evenerit; [1]) neque injustitia esse potest, ubi fortuna, quae omnium, quotquot exstant, est domina, ea recipit, quae hac conditione antea dederat. Quis tam superbae impotentisque arrogantiae est, ut ait Seneca, ut in hac naturae necessitate, omnia ad eundem finem revocantis, se unum ac suos seponi velit, ruinaeque, etiam ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat? [2]) Ne tamen Stoicis concedamus, hanc solam et efficacissimam ad tollendam aegritudinem esse medicinam. Apud plerosque enim eo valebit, ut inhibeant lacrimas, ut abstineant a planctibus et lamentatione, ut externa luctus signa mittant; sed eo magis infixa in imo pectore erit aegritudo, eoque acerbius interius lacerabit et exedet animum, si nihil aliud ad eum erigendum afferatur. Acquiescet fortunae decretis; sed vi coactus, quum ipsi resistere neque audeat neque possit: lugendi vero caussa eadem manet, quotidie, quid quantumque amiserit, sentit neque sentire desinet, antequam et ipse fato erit oppressus. Ipsa praeterea haec necessitatis cogitatio et opinio, subesse nos fortunae, quae nulla virtutis, nulla integritatis habita ratione, omnibus vel bona vel mala distribuat, tantum abest, ut ad animi aequabilitatem reducat hominem, ut contra augeat eius aegritudinem, quum semper futura mala metuat, neque bona audeat sperare, cognita for-

---

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 16. Hinc Cic. *Epist. ad Att.* l. XI. Ep. 2: *Quod si mihi commune cum caeteris esset, qui videntur in eadem caussa esse, minor mea culpa videretur, et eo tolerabilior esset.*

2) Seneca *Cons. ad Polyb.* c. 21. Cf. Boëthius *de Cons. phil.* l. II. Pr. I. *Tu, si fortunam putas erga te esse mutatam, erras. Hi semper eius mores; haec natura est. Servavit circa te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam.*

tunae inconstantia. Neque defuerunt idcirco apud antiquos, quibus displiceret admodum haec consolandi ratio; negabat enim Carneades hoc genus orationis quidquam omnino ad levandam aegritudinem pertinere, id enim ipsum dolendum esse dicebat, quod in tam crudelem necessitatem incidissemus, [1]) et Solon, filii mortem deplorans, quum aliquis eum rogasset, quare ploraret, quum lacrimis nihil proficeret, respondit, „id ipsum ploro, quod sortem meam mutare nequeo." [2]) Quae quum ita sint, mirandum est omnino, ipsos philosophos in consolationibus tam copiose de fati inconstantia et invidia esse locutos, ut hinc potius augendae, quam minuendae tristitiae caussa efficeretur. Seneca enim: „nihil ergo prodest, ait, innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summae potentia,

1) Cic. *Tusc. Q.* III. 25. Verissime de hoc consolandi argumento judicat Bayle *Dict. hist. et crit.* m. Foulques: *Il faut convenir, que la plupart des lieux communs de consolation ont deux faces, et qu'ils peuvent servir à deux mains. Ils ont le défaut de pouvoir être retorqués; car, par exemple, qu'y a-t-il de plus sensé, que de ne rien faire d'inutile? Sur ce pied là vous raisonnez bien contre une mère affligée de la mort de son cher fils, si vous lui dites, que ses pleurs ne servent de rien, et que quoiqu'elle fasse, ou qu'elle dise, elle ne fera point revivre son fils. Mais c'est cela même, vous peut-on répondre, qui me rend inconsolable; car si je pouvois réparer ma perte, je la supporterois patiemment; si j'esperois, comme on fait dans le negoce, de regagner sur un vaisseau ce que j'aurois perdu sur un autre, je n'aurois pas un grand besoin de consolation. — La seule pensée, que son mal est incurable et soumis autant ou plus qu'aucune autre chose à cette dure règle de philosophie:* a privatione ad habitum non datur regressus; *cette seule pensée, que le consolateur lui allègue comme une puissante raison de prendre patience, fait son principal désespoir.* Cf. Idem m. Amphiaraus.

2) Stob. *Flor.* tit. 122, 14.

summa conservata abstinentia, nihil sincerus et tutus literarum amor, nihil ab omne labe mens vacans. — Diutius accusare fata possumus, mutare non possumus; stant dura et inexorabilia. Nemo illa convicio, nemo fletu, nemo caussa movet; nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt." 1) Plutarchus autem, quo magis fortunae indicaret invidiam, verba refert, tum Philippi Macedonis, ubi laeti ipsi allati essent nuntii: *ὦ δαῖμον, μέτριόν τι τούτοις ἀντίθες ἐλάττωμα*, tum etiam Theramenis, summo periculo erepti, *ὦ τύχη, εἰς τίνα με καιρὸν ἄρα φυλάττεις;* quibus deinde addit, eum paullo post a tyrannis distortum interiisse. 2) Haec autem, ut cuique facile patet, non multum habent, quo animi tranquillitatem reddant lugenti, quum neque auferant, neque minuant aegritudinem, sed metum insuper ei injiciant, ne postea iterum ab invida fortuna malis afficiatur. 3)

Nec desunt porro, qui ad officium pertinere existiment,

---

1) Seneca *Cons. ad Polyb.* c. 22 sq. Cf. *Cons. ad Marc.* c. 6.

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 105. B.

3) Alii aliter de hoc argumento judicant. Reinhardus enim l. l. p. 335 dicit: *quod autem facilius moderatiusque toleramus, quae animadvertimus mutari non posse; id potissimum inde fit, quod nihil effici videmus querelis et lamentationibus, animusque necessitati, cui non potest resisti, et qua rapiuntur omnes, concedere aequum putat et honestum. Abjicit autem omnem tristitiam, et ad hilaritatem redit, qui perspicere didicit, quam stultum sit, breve vitae tempus inani moerore consumere.* Caeterum quid huic argumento tribuendum esset, magna fuit lis inter viros doctos superioris saeculi; Festus enim in opere *Beytr. zur Beruhigung* etc. Vol. I p. 21 sqq. parvam hanc, vel potius nullam consolationem esse docuit, cuius sententiam refutare conatus est Anonymus in *Leipz. Gelehrte Zeit.* anni 1787 No. 140 et 152. Festi tamen doctrinam adversus hunc tuitus est J. C. G. Ernesti *Auserlesene Briefe Cic.* p. 176 sqq.

ut aegre ferant, quae acciderint: quae opinio eo magis lugenti est detrahenda, quum verissimas consolationes recipere eum impediat, atque efficiat, ut, si ipsi nimis indulserit, deinde omne respuat solatium. His igitur demonstrare studuerunt philosophi, luctum non tantum inutilem et vanum, sed etiam turpe et viris esse indignum, quum mulierum et barbarorum potissimum sit ratio, ut lacrimis et lamentationibus indulgeant. Apud Lycios enim legem esse latam, ut, quicumque lugere vellet, muliebrem indueret vestem; eoque significasse legislatorem, virorum nomine indignos esse, quicumque ita se gererent, eosque in mulierum numerum esse referendos. Quae oratio quam vim apud Graecos habere debuerit, qui barbaros despicere nulloque modo eos secum comparandos existimantes, sua tantum virtute et Graeca origine gloriari solerent, facile quisque intelliget. Quam autem addiderunt fabulam, Luctum a Jove lacrimas hominum, tanquam sacrificia, accepisse, ideoque, quo magis ab hominibus coleretur, eo plures calamitates iis inferre, egregie illa luctus naturam explicat, quippe qui ipsis lacrimis saepius augeatur, atque animum humanum magis magisque emolliat, ut minora etiam mala aegre ferat. Plane autem haec fabula ad mulierum captum est composita, quae facilius narrationibus, quam philosophis rationibus commoveri soleant; quocirca rite eadem usus esse videtur Plutarchus, ut uxorem suam a nimio luctu avocaret.[1])

Prouti autem philosophi, ut aliquem de cognati morte consolarentur, ante omnia praeiudicatas opiniones auferre

1 Cf. Wyttenb. *ad Plut. Cons. ad Apoll.* p. 112. A Vol. VI p. 743.

studuerunt, sic quoque eandem rationem in scriptis de exsilio deque senectute tenuerunt. In exsilio enim id potissimum Graecum angebat, quod amicis, muneribus, universe bonis, quae respublica praebeat, ereptus, privatam vitam agere in barbaris deberet; ac praeterea summa haberetur ignominia, si quis a civibus suis solum vertere cogeretur. Haec autem philosophi negabant esse mala, sed tantum ita videri hominibus: vera enim bona ubivis reperiri, aquam, aërem, terram, eosdem ubivis inveniri quaestores et prytanes, solem, lunam, astra, ubivis eundem adesse Deum, qui totum universum et amplectatur et regat. Caetera vero tantum bona videri, non vero esse, quippe quae talia fiant ex hominum opinione, ideoque eorum privationem non ita esse dolendam, quasi omnem subverteret felicitatem. Exsuli praeterea licere, ut ubicumque habitare velit, ibi degat, quum caeteris in patria manendum sit, etiamsi illa displiceat. Argumenta haec, quae referunt Plutarchus aliique, multum sine dubio, eo tempore, valuerunt ad minuendam aegritudinem, qua quis ob exsilium affectus esset. Num vero illa, florenti Graecorum aetate adhibita, eandem in exsulis animo habuissent vim, negandum potius, quam affirmandum videtur. Non enim Miltiades, non Aristides hisce rationibus exsilium minus turpe leviusque ferendum existimassent, qui, ut caeteri omnes Graeci, patriam communem matrem venerabantur, omnibus praeferendam, quorumque vita non privata, sed publica in mediis civibus erat. Quid? Graecus duxisset bonum, habitare in barbaris, nullo nomine sibi conferendis? Nonne desideraret forum, quod ipsi velut domicilium erat? Nonne colloquia amicorum, nonne orationes pro patriae salute habitas, nonne leges suas desideraret,

a caeteris toto coelo diversas? At Plutarchi aetate senescebat Graecia, neque tanti aestimabatur patria, alieno quippe imperio subacta; Teletis autem tempore, etiamsi minus tristis Graeciae erat conditio, fracta tamen, si non exstincta, erat antiqua illa virtus patriaeque amor. Illorum idcirco temporibus salutarem illae consolandi rationes vim habere potuerunt, quae apud antiqui temporis exsulem nihil, vel parum ad luctum tollendum valuissent.

Ut autem nullam exsilio conjunctam esse ignominiam demonstrarent, hanc tantum hominum opinione constare docebant, quum alii hoc illudve improbent, quod alii summo habeant honore. Praeterea nullum exsuli esse posse dedecus, si ipse culpa vacans, officiis suis rite functus, patriaeque salutem semper propugnans, adversariorum machinationibus et injustitia solum vertere coactus esset, quocirca his magis, quam ipsi lugendi caussam adesse, qui turpiter se egisse sibi conscii sint. Hac autem conscientia atque intima persuasione, se vacare culpa, optimum solatium contineri, jure contendit Crantor. [1]) Fuit tamen, superiori saeculo, in Germania, qui conscientiam rectae voluntatis nullum in malis solatium afferre, sed potius ad desperationem ducere statueret. At vero ille, haec statuendo, non sibi laudem, quam quaerebat, sed omnium vituperationem comparavit, et in ipso illo libro mirum in modum sibi ipse contradixit. [2]) Est enim illa sententia ita et communi antiquorum et recentiorum judicio, et vero rerum etiam usu confirmata, ut

---

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 114 C. Cic. *Tusc. Q.* III. 16.

2) V. Büschel *Bruchstücke aus dem Gebiete der Phil. Moral und Polit.* Leipz. 1789. Vol. I. Docte autem eum refutavit Fest *Beitr.* Vol. II. p. 530 sqq.

nemo, nisi mente sit captus, negare eam audeat. Nullus enim dolor tam vehementer cruciat animum, quam si quis sua culpa sibi accidisse calamitatem putat, et contra, ut Poëta cecinit, hic murus est aheneus

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. [1])

Quantopere autem haec consolatio ad leniendum dolorem valeat, optime Cicero indicavit, quum ad Torquatum suum scriberet: „fateor, me communium malorum consolationem nullam invenire, praeter illam, quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaque ego quotidie magis utor: conscientiam rectae voluntatis, maximam consolationem esse rerum incommodarum, nec esse ullum magnum malum, praeter culpam." [2])

Similiter philosophi in consolandis senibus, primum sibi officium esse existimarunt, ut docerent, senectutem non tantum esse, quantum videretur, malum. Idque Juncus, ut supra vidimus, egregia fecit ratione. Cum enim senectus propterea in primis minus jucunda habeatur, quod sensum voluptatis homini auferre soleat; hoc ipso usus est, ut eam magnopere expetendam proponeret. Animus enim humanus, ait, principio purus atque integer, quippe divinae naturae, cupiditatibus deinde polluitur, quae tanquam Sirenes arripiunt juvenes et ad pessima quaeque trahunt. At vero senectutem illae adire non audent, ὁπότε τῆς μὲν ψυχῆς τὸ ἀλόγιστον

---

1) Hor. *Epist.* l. I. Ep. I. vs. 60. — Egregie autem Kant *Anthropologie* p. 181: *ein Uebel, daran eine fremde Ursache schuld ist, schmerzt, aber woran man selbst schuld ist, betrübt und schlägt nieder.*

2) Cic. *Epist. ad Div.* l. VI. Ep. 4. Cf. Ibid. Ep. 3 et 21. *Epist. ad Att.* l. XI. Ep. 2.

δὴ καὶ ἐπιθυμητικὸν εὕδοι, διαφυγὸν πονηροὺς δεσπότας, τὸ δὲ λογιστικὸν ἀπολαύοι διὰ τῆς ὄψεως τῆς κατὰ τὸ κάλλος ἡδονῆς. Senex igitur purum illum animi statum recipere potest, quum voluptate non amplius ab officiis studiisque avocetur, atque ita eius conditio multo melior ac felicior est habenda, quam juventutis. Alterum quoque argumentnm, propter quod vulgo se miserum esse putat senex, quia nempe tam proxime abest a morte, pariter philosophi, ut commendarent senectutem, adhibuerunt. Eam enim non finem dicendam esse vitae, sed potius initium ac veluti limen felicitatis. Conducere enim eam ad meliorem vitam, ubi una erimus cum Diis et heroibus eorumque fruemur amicitia, et multa nobis innotescent, quae hic obscura manserunt. Plurimum autem haec argumenta, ut facile intelligitur, valent, ut aegra mens in pristinum statum reducatur, quum eadem, quae vulgo tanquam mala considerari solent, seni conducere proponantur. De caeteris autem argumentis, quibus praejudicatas, tam de exsilio quam de senectute, opiniones auferre studuerunt philosophi, quum similia fere sint iis, quibus usi sunt in consolationibus de morte, nihil hic addendum est, quum fusius supra de iis disseruerimus.

Caput III.

DE ARGUMENTIS CONSOLATORIIS, QUIBUS ANIMUM LUGENTIS ERIGERE AC SENSUM DOLORIS MINUERE STUDUERUNT PHILOSOPHI.

Commune est philosophorum in consolationibus praeceptum, ut is, qui calamitatem quandam sibi accidisse lugeat, ratione sua rite utatur ad sedandos dolores. Quod veluti fundamentum ac principium est, ex quo omnia, de quibus adhuc egimus, repetenda sunt argumenta. Spectant enim maxime eo, ut detrahantur moerenti opiniones, quae augeant dolorem et efficiant, ut gravius sibi proponat malum, quo afflictum se sentit, quam revera est. Itaque admonuerunt eum, ut ratione sua usus praejudicatas mitteret opiniones, et rectius de rebus humanis statuens, ferenda sibi aequo animo existimaret, quae falso majora et vix toleranda habuisset. Quod quo magis efficerent, tempore docebant omnem animi aegritudinem sedari ac minui, atque ita turpis et effeminati viri esse, a diuturnitate medicinam exspectare, quam

sibi ipse possit praebere. Ὁ οὖν μέλλεις τῷ χρόνῳ χαρίζεσθαι, ait Plutarchus, τοῦτο τῷ λόγῳ χάρισαι καὶ τῇ παιδείᾳ, καὶ σεαυτὸν ἔκλυσαι τῶν κακῶν.[1]) Hinc item lugenti in memoriam revocabant sermones, quibus ipse alios, in eadem calamitate versantes, allocutus erat. Hinc illa Sulpicii ad Ciceronem verba: *noli te oblivisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium*,[2]) quae haud scio an plurimum valuerint, ad sedandam eius de obitu Tulliae aegritudinem. Fert enim hoc natura humana, ut in aliis quidem admonendis et erigendis fortes simus; quum tamen ipsi calamitate quadam afficiamur, continuo animum despondeamus. Itaque eo pertinet illa commemoratio sermonum, quibus alios sumus consolati, ut ratio nostra principatum recuperet, atque iisdem rationibus ipsi nostrum dolorem leniamus, quas antea in aliis adhibuerimus.

Neque tamen hic subsistit officium consolantis. Nam, etiamsi opiniones omnes ex lugentis animo sustulerit, atque ita eum a nimio luctu avocaverit; manet tamen naturalis ille sensus doloris, ac desiderium illud amissi boni, quae prorsus auferri nequeunt. Recte enim Hyperides: τὰ γὰρ πένθη, ait, οὔτε λόγῳ, οὔτε νόμῳ κοιμίζεται· ἀλλ' ἡ φύσις ἑκάστου καὶ φιλία πρὸς τὸν τελευτήσαντα ὁρι-

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 112 C. Cf. Cic. *Epist. ad Div.* l. IV. Ep. 5, l. V. Ep. 16. *Epist. ad Att.* l. XII. Ep. 10, ubi: *Consolationum multae viae, sed illa rectissima: impetret ratio quod dies impetratura est.*

2) Cic. *Epist. ad Div.* l. IV. Ep. 5. Quam autem vim haec Sulpicii verba habuerint, ipse sequenti epistola significavit Cicero, dicens: *Me autem non oratio tua solum, et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim esse existimo, me non ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas.*

σμὸν ἔχει τοῦ λυπεῖσθαι.[1]) Sensus autem ille doloris, licet prorsus auferri et tolli radicitus nequeat, minui tamen idem ac leniri et potest et debet: idque alterum est consolantis officium. Quod quidem optime praestabit, ubi lugentem a malis ad contemplanda bona avocaverit; tum enim sensui illi doloris alius opponitur, sensus nempe laetitiae, qui illius vim frangit, et, quominus augeatur, vel latius procedat, impedit. Pulchra id comparatione expressit Plutarchus: ut enim, sic ait, oculos, nimio splendore offensos, ad florida et viridia avertere solemus, sic quoque adversam experti fortunam, non mala, sed bona respicere debemus, ut horum cogitatione illorum repellamus vim.[2]) Quam consolandi rationem in primis Epicuro placuisse, supra jam monuimus, quum levationem aegritudinis in duabus rebus poneret, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. Acerbe autem Cicero hanc Epicuri sententiam impugnavit, revocationem illam nullam esse contendens; non est enim, ait, in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinamur, dissimulatio vel oblivio: lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt.[3]) Attamen, ut fere semper, sic hoc quoque loco inique Epicurum reprehendit Cicero, quum ille non dissimulatione et oblivione malorum, sed avocatione ab iis aegritudinem levare studuerit. Impediendum enim omni modo censuit, quominus diuturna cogitatio mali cruciaret eum, qui in luctu esset, eiusque dolorem augeret, quod nulla ratione melius fieri posse statuit, quam ubi reputaret bona, qui-

1) Stob. *Flor.* tit. 124, 35.
2) Plut. περὶ εὐθυμίας p. 469 A.
3) Cic. *Tusc. Q.* III. 16.

bus fruitus esset, quaeque adhuc sibi essent relicta.[1]) Quam ipsi fuisse sententiam luculenter apparet ex epistola, quam moriens ad Hermachum scripsit, ubi haec: „tanti aderant vesicae et torminum morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Compensabatur tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum."[2]) Hanc igitur animi laetitiam si moerenti dederit is, qui consolantis officio fungitur, et vincet eius dolorem et eundem ad optima quaeque educet. Quum vero latius ille locus pateat, accuratius de eo disquirendum esse videtur.

Non autem facimus cum iis, qui proponendis ridiculis jocisque afferendis fallere dolorem studeant.[3]) Repugnat enim vehementer haec agendi ratio animi conditioni eius, cui malum quoddam accidit; sola enim cogitatione mali defixus, omnem respuit festivitatem sermonis, et irascitur ei, qui importunis jocis ipsum ab illa cogitatione avocare studeat. Amittit igitur hisce afferendis benevolentiam lugentis, qua carere nullo modo potest is, qui alicuius aegritudinem lenire velit. Apud nonnullos fortasse talis sermo eam vim habebit, ut aliquamdiu remittant tristitiam, sed dolor hoc modo delusus, saepius

---

1) Rite hoc expressit Descartes *Les pass. de l'ame.* Opp. Vol. IV. p. 75. Ed. Cousin: *Nos passions ne peuvent pas aussi directement être excitées ni ôtées par l'action de notre volonté, mais elles peuvent l'être indirectement par la représentation des choses, qui ont coutume d'être jointes avec les passions que nous voulons avoir, et qui sont contraires à celles, que nous voulons rejeter.*

2) Cic. *de Finn.* II. 30.

3) Mirum est, Reinhardum Op. I. p. 357 sqq., etiam hoc in consolatione praecipere, quamquam caute hoc genere consolandi utendum esse dicit.

ipsa quiete vires colligit, et majore vehementia redit. Haud igitur spernenda est consolanti admonitio Senecae, qui praestare dicit vincere dolorem, quam fallere. Nam, sic pergit, qui aut delusus voluptatibus, aut occupationibus abductus est, resurgit et ipsa quiete impetum ad saeviendum colligit: at quisquis rationi cessit, in perpetuum componitur. [1])

Hanc igitur agendi rationem quum vix consolationem nominare possimus, eo efficacius ad sedandam aegritudinem afferes solatium, si moerenti ostenderis, quot quantaque bona ipsi etiam sint relicta. Etenim haec natura est mortalium, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est, et iniquiores simus adversus relicta, ereptorum desiderio; [2]) enumeranda idcirco sunt bona, quibus pepercit fortuna, ac demonstrandum, quam ingratus sit is, qui ablati boni tantum memor, accepti vero obliviscatur. Hisce rationibus cogitationi mali multum acerbi detrahitur, quum dolori, quem sentire pergit, jungetur laetitia quaedam, quae eo major erit, quo plura sibi ferendae calamitatis praesidia adesse reputaverit. Neque a veteribus ille locus in consolationibus est praetermissus; sed praeclare eo usi sunt, ut mentem moerentis a malis abducerent, eaque avocatione eius animum ad pristinam reducerent aequabilitatem. Egregie autem Plutarchus, ut uxorem de filiae morte consolaretur, ad muliebre eius ingenium sermonem accommodans, observare eam monebat, quomodo omnes ipsius inviderent fortunae, ipsamque suspicerent propter liberos, domum, vitae

---

1) Seneca *Cons. ad Helv.* c. 16. Cf. Boëthius *de Cons. phil.* l. II. Pr. 3.
2) Seneca *Cons. ad Marc.* c. 16.

rationem caeteraque, quae ipsi adessent, bona. [1]) Neque tantum privatis bonis, quae singulis essent relicta, verum etiam publicis, civitatis salute, gloria, incolumitate, vim doloris frangere studuerunt, quae oratio quantum valere debuerit ad leniendum dolorem, sponte intelliget, quicumque reputaverit, quo loco veteres rempublicam habuerint. Haec enim veluti communis omnium mater erat, quam summo amore venerabantur, hinc omne ducebant principium, huc omnia referebant, haec unicum habebatur in calamitate et malis domesticis refugium. Quod rite animadvertit Plutarchus, dicens: *εἰ δεῖ τοῦ ἀτυχήσαντος πρὸς ἡδίω πράγματα τρέπειν τὴν διανοίαν, ὥσπερεὶ τοὺς ὀφθαλμιῶντας ἀπὸ τῶν λαμπρῶν καὶ ἀντιτύπων ἐπὶ τὰ χλωρὰ καὶ μαλακὰ χρώματα τὴν ὄψιν ἀπάγειν κελεύοντας· πόθεν ἄν τις ἐπαγάγοιτο βέλτιω παρηγορίαν, ἢ πατρίδος εὐτυχούσης, ἐκ τῶν κοινῶν παθῶν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα σύγκρασιν ποριζόμενος τοῖς βελτίοσιν ἀφανίζουσαν τὰ χείρω;* [2]) Intelligitur hinc, quare Sulpicius, Ciceronem suum consolans, non pessime cum iis esse actum dixerit, quibus sine dolore licitum esset mortem cum vita commutare; praestare enim existimabat mori, quam vivere in civitate, cuius libertas fracta jacebat quaeque unius imperio erat subjecta. Hinc item explicanda sunt Ciceronis, filiae obitum lugentis, verba: „non autem, ut tum me a republica moestum domus excipiebat, quae levaret, sic nunc domo moerens ad rempublicam confugere possum, ut in eius bonis acquiescam. Itaque et domo absum et foro, quod nec eum dolorem, quem a republica capio,

---

1) Plut. *Cons. ad uxorem* p. 611 B.
2) Plut. *vita Demosth.* c. 22.

domus jam consolari potest, nec domesticum respublica." [1])

Haec autem animi laetitia, quae quodam modo recuperatur reputandis bonis, quae nobis supersunt, crescit et augetur valde, ubi demonstratur id, quod acciderit, boni naturam habere, adeoque amissorum recuperationem detrimentum potius fore, quam lucrum. Quae medicina optime adhiberi potest ei, qui cognati cuiusdam obitum lugeat, ubi ipsi probaveris, mortui animum nunc meliore frui conditione, quam antea fuerat, quum hac in terra viveret. Itaque antiqui philosophi hunc locum in consolationibus haud neglexerunt. Non enim animum cum corpore interire docebant, sed post mortem exstare, corporisque vinculis, quibus εἰς τιμωρίαν per vitam fuisset inclusus, liberatum, non pravis cupiditatibus, non miseriis, non morbis detineri, sed ipsum vivere per se, spectantem ea, quae adhuc obscura fuissent, colloquentem cum egregiis quibusque antiquioris aevi viris, et ad ipsum Deorum communionem et familiaritatem admissum. Vitam autem humanam ἐπιδημίαν quandam dicebant, quum animus, quippe divinae originis, jam exstitisset, antequam terrenum indueret corpus, et per mortem adeo pristinam illam conditionem et libertatem recuperet, velut ex peregrinatione in patriam suam revertens. [2]) Egregie hanc orationem valere ad

1) Cic. *Ep. ad Div.* l. IV. Ep. 6. Cf. Ibid. l. V. Ep. 16. *Brutus* c. 2 et Ernesti l. l. p. 76 sqq.

2) Hipparchus ap. Stob. *Flor.* tit. 108, 81; Aesch. *Axioch.* c. 5; Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 117 F. Alii contra non vitam, sed mortem cum peregrinatione compararunt, ut Plato in *Apol. Socr.* p. 40. Plut. *ad Apoll.* p. 107., alii. Quarum tamen comparationum illa magis antiquorum de morte opinionibus convenit: voci enim ἐπιδημία notio

moestum animum erigendum, eiusque sedandum dolorem, nemo sane infitias ibit; etenim quum aegritudo maxime oriatur ex amore et desiderio eius, quem crudeliter amisimus, summa subsequetur laetandi caussa, si eundem nunc meliore uti conditione, nunc demum vere vivere reputaverimus. Dolere quidem non desinet, carum sibi caput esse ereptum, seque illius amplexibus, sermonibus, amore carere; sed, ut revertatur in vitam summamque illam felicitatem cum incerta huius vitae fortuna commutet, id vix aut ne vix quidem optare poterit, prae amore, quo erga defunctum ducitur. Meditatio praeterea placet de praesenti carissimi defuncti conditione, quem nobis proponimus summis verisque voluptatibus gaudentem, ea sibi comparantem, quae in vita assequi studuerat, sed nondum assecutus fuerat, ac Deorum heroumque familiaritate ad sublimia quaeque rite intelligenda evectum. Quae meditatio, non tantum insignem in modum lenit ac mitigat dolorem, quum a tristibus ad laeta et jucunda animum abducat, sed hanc etiam habet vim, ut erigat demissos animos, optimis quibusque sensibus eos afficiat et excitet, ut colenda virtute et justitia, postea eiusdem felicitatis fiant participes.

Veruntamen, ut salutarem hanc, quam diximus, vim in lugentis animo habeat illa consolatio, plane ipsi persua-

---

inest peregrinae regionis, quam aliquis tanquam hospes adit, et antiquorum ea fuit de animo sententia, exstitisse illum antea et vixisse in coelestibus regionibus, unde delatus sit in hanc terram, mox illuc post mortem rediturus. Quod praeclare expressit Cicero, Catonem dicentem faciens: *Ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi locum dedit. De Senect.* c. 23.

sum esse debet, non mortalem esse animum humanum, sed exstare etiam post mortem. Quod de antiquis dici nequit. Si enim excipias Socratem, Platonem, Ciceronem paucosque alios, qui persuadere sibi non poterant hominem, tantis instructum ingenii animique virtutibus, totum interire; caeteri omnes dubii haerebant, nescientes, quid de hac gravissima re esset pronunciandum. Quum enim tot essent philosophorum sententiae, a se invicem prorsus discrepantium, quorum hi animum mortalem, illi immortalem habebant, alii animos post mortem judicari dicebant, quod alii, ut ex vulgi superstitione et poëtarum fictionibus petitum, deridebant, vulgus sperare quidem animorum immortalitatem potuit; sed eos non interire, plane sibi persuadere non potuit. Quid? quod Plato, qui peculiarem hac de re disquisitionem instituit in Phaedone, quique multis iisque praeclaris rationibus probare animi immortalitatem conatus est, Simmiam haec loquentem inducit: *ἀλλὰ μὴν οὐδ' αὐτὸς ἔχω ἔτι ὅπῃ ἀπιστῶ ἔκ γε τῶν λεγομένων· ὑπὸ μέντοι τοῦ μεγέθους περὶ ὧν οἱ λόγοι εἰσί, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἀτιμάζων, ἀναγκάζομαι ἀπιστίαν ἔτι ἔχειν παρ' ἐμαυτῷ περὶ τῶν εἰρημένων.* 1) Ciceroni autem de eodem dialogo nonne eadem sententia fuit, quum discipulum dicentem faciat: „Evolvi quidem saepius librum, sed, nescio quomodo, dum lego, assentior; cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur." 2) Neque philosophi in consolationibus operam dederunt, ut hanc rem certiorem firmioremque redderent, sed contra dubiam plane

---

1) Plat. *Phaedon.* p. 107 A.
2) Cic. *Tusc. Q.* I. 11.

eam proposuerunt. Sic Plutarchus Socratis verba refert dicentis: *οἶδε μὲν οὐδεὶς τὸν θάνατον, οὐδ' εἰ τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ πάντων μέγιστον ὂν τῶν ἀγαθῶν· δεδίασι δ' ὡς εὖ εἰδότες, ὅτι τῶν κακῶν μέγιστόν ἐστιν.* [1] Duplicem adeo de morte sententiam attulerunt, quod, ut supra jam significavimus, ipsius consolantis dubitationem arguit, neque ideo efficere potest, ut is, qui lugeat, ad animi tranquillitatem reducatur; ac licet majorem auctoritatem tribuerent illi sententiae, qua mors dicebatur non animi sed corporis tantum interitus; tamen quum verba afferrent philosophorum, qui aliter de ea existimarent, quumque certi quid de ea pronunciare non auderent; id effici debuit, ut uberrima sua vi haec consolatio destitueretur. Melius idcirco Plutarchus, ut uxorem consolaretur, non varias de morte sententias refert, sed immortalem esse animum ex mysteriis probat, quibus erant initiati: *καὶ μὴν*, sic ait, *ἃ τῶν ἄλλων ἀκούεις, οἳ πείθουσι πολλοὺς, λέγοντες ὡς οὐδὲν οὐδαμῇ τῷ διαλυθέντι κακὸν οὐδὲ λυπηρόν ἐστιν, οἶδα ὅτι κωλύει σε πιστεύειν ὁ πάτριος λόγος καὶ τὰ μυστικὰ σύμβολα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον ὀργιασμῶν, ἃ σύνισμεν ἀλλήλοις οἱ κοινωνοῦντες.* [2]

Praeterea si philosophorum de summa illa post mortem felicitate placita attendimus, hanc illis fuisse sententiam invenimus, non omnibus, sed paucis tantum eam posse competere. Nam ut ait Plato, *εἰς θεῶν γένος μὴ οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι ἄλλῳ, ἢ τῷ φιλομαθεῖ φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῷς ἀπιόντι.* [3] Nemo igitur

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 108 E.

2) Plut. *Cons. ad ux.* p. 611 D.

3) Plat. *Phaedon.* p. 82 C. Locum dedimus de conjectura Wyttenbachii.

huius felicitatis particeps fieri poterat, nisi qui purus et integer totam transegerat vitam. Judices autem in orco summa justitia judicare proponebantur, ipsique animi nudi ad eorum tribunal accedere debebant, quo evidentius, quales essent quidve in vita peregissent, pateret. Metu idcirco premi debebant, ne victi e certamine decederent animi, poenisque diris affligerentur: quum nemo inveniatur, qui nullius peccati vel injustitiae commissae sibi conscius sit, sed contra ναρθηκοφόροι sint πολλοὶ, βάκχοι δέ γε παῦροι. 1) Ne igitur acerba hac cogitatione omnis illius solatii vis periret, celebrare in consolationibus solebant philosophi defuncti laudem, eiusque efferebant justitiam, fortitudinem, industriam aliasque virtutes. Quam tamen agendi rationem, naturalem plane, haud defuerunt, qui valde improbarent, hanc laudationem id efficere dicentes, ut revocet et augeat aegritudinem, quum moerenti ostendat, quantam fecerit jacturam. 2) At vero licet negandum non sit, eo majus esse desiderium eius, quem morte amiserimus, quo magis fuerit virtutibus conspicuus; multa tamen obstant, quominus veram esse illorum sententiam dicamus. Ut enim consolatio salutarem vim habeat, lugentis benevolentiam sibi comparare debet, quicumque consolantis officio fungitur, quam profecto sibi non conciliabit, qui mortui laudes commemorare neglexerit. Celebrando vero virtutes eius, qui supremum diem obierit, consolator persuadet parentibus vel cognatis, optime se sentire, quid in filio cognatove amiserint: se eorum sor-

---

1) Plat. *Phaedon* p. 69 D. Cf. J. H. Scholten, *Disq. de Dei erga hom. amore*. Traj. 1836 p. 12 sq.

2) Hanc sententiam amplectitur Ernesti l. l. p. 30. Cf. Fest. *Beitr.* Vol. II. p. 272 sqq.

tem misereri ostendit, eamque sibi benevolentiam comparat, qua carere, si voti compos fieri velit, nullo modo potest. Egregie porro haec virtutum commemoratio valet, ut ostendatur, si post mortem justos viros maneat felicitas, eam amisso cognato competere, qui morum integritate, pietate, justitia se omnibus commendaverit. Tantum igitur abest, ut commemoratio illa augeat aegritudinem, ut potius eam minuat, atque animum lugentis ad veram consolationem recipiendam aptum reddat. Tum enim, carissimum mortuum summa felicitate gaudere reputans, abstinebit a lacrimis et luctu, et adsentietur Plutarcho, dicenti: *οὐδεὶς ἀγαθὸς ἄξιος θρήνων ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, οὐδὲ πένθους, ἀλλὰ μνήμης εὐκλεοῦς, οὐδὲ δακρύων ἐπωδύνων, ἀλλ' ἀστείων ἀπαρχῶν, εἴγε ὁ μετηλλαχὼς θειότερόν τινα βίον μετείληφεν, ἀπαλλαγεὶς τῆς τοῦ σώματος λατρείας καὶ τῶν ἀτρύτων ἕνεκα τούτου φροντίδων τε καὶ συμφορῶν.* 1)

Est alia etiam consolatio, quae tam ad sedandum dolorem, quam ad erigendum lugentis animum mirifice valet, qua docetur, omnia, quae homini accidant, Deorum esse munera, neque idcirco in malis esse habenda. Etenim quum divina Providentia prospiciat generi humano, ipsumque hominem in praesidio suo tenens, ipsi largiatur, quae ei prodesse sciat, omnia, quae nobis praeter spem eveniant, non tanquam verae calamitates

1) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 114 D, p. 122 E. Cf. Cic. *Tusc. Q.* I. 45. *Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest.* Descartes l. l. p. 162. *Quiconque a vécu en telle sorte, que sa conscience ne lui peut reprocher, qu'il ait jamais manqué à suivre la vertu, il en reçoit une satisfaction, qui est si puissante pour le rendre heureux, que les plus violents efforts des passions n'ont jamais assez de pouvoir pour troubler la tranquillité de son âme.*

sunt consideranda, sed tanquam *δῶρα τοῦ θεοῦ*, quae obesse nostrae saluti nequeant. 1) Idque rite attulerunt philosophi antiqui ad consolandos miseros. Vitam enim compararunt cum mutuo, quod nobis dederunt Dii, nullo addito restitutionis tempore, quodque ideo, quum velint, reposcere possunt; hominis autem non esse, ut aegre id restituat, sed contra tempus, quod ei vivere licuit, in lucro esse ponendum. Eo autem valet haec argumentatio, ut in obitu parentis, filii vel alius, quem summo prosecuti sumus amore, grato animo recordemur beneficia, quae Deus nobis largitus sit, recordemur sermones, quos cum dilectissimis illis habuerimus, et gratias agamus divinae Providentiae, quod talem parentem, talem filium ad hunc usque diem nobis servaverit. Praeclare ea oratione usus est Plutarchus, ut uxoris minueret de filiae obitu aegritudinem, ipsi in memoriam revocans tempus, quo nondum nata esset filia, quod praesenti plane erat simile, nisi quod nunc gratissima fruerentur filiae memoria. Haec cogitatio, bonos esse Deos, qui rebus humanis prospiciant, haud scio an plurimum valeat, ut placide, quidquid eveniat, feramus. *Ἀλλὰ πρὸς μὲν τὸν καίσαρα*, ut ait Epictetus, *ἡ συγγενεία ἢ ἄλλον τινὰ τῶν μέγα δυναμένων ἐν Ῥώμῃ, ἱκανὴ παρέχειν ἐν ἀσφαλείᾳ διάγοντας εἶναι, καὶ ἀκαταφρονήτους, καὶ δεδοικότας μηδ᾽ ὁτιοῦν· τὸ δὲ τὸν Θεὸν*

1) Dio Chrysost. Orat. XXX. p. 300: *χρὴ δὲ μὴ γιγνομένων χαλεπὸν ἡγεῖσθαι, μηδὲ δυσχερῶς φέρειν, ὥσπερ ἐν δεινοῖς οὖσι. Παραινοῦσι δὲ ἄλλοί τε σοφοὶ, καὶ οὐχ ἥκιστα Ὅμηρος, λέγων μηδαμῇ ἀπόβλητα εἶναι ἀνθρώποις τὰ θεῶν δῶρα, καλῶς ὀνομάζων τὰ δῶρα, τὰ ἔργα τῶν θεῶν, ὡς ἅπαντα ἀγαθὰ ὄντα, καὶ ἐπ᾽ ἀγαθῷ γιγνόμενα.* Cf. Epicteti verba apud Stob. *Flor*. tit. 108, 80.

ποιήτην ἔχειν, καὶ πατέρα, καὶ κηδεμόνα, οὐκέτι ἡμᾶς ἐξαιρήσεται λυπῶν καὶ φόβων; [1]) Etenim haec qui reputaverit, non amplius futura metuet, quippe quae bonâ Providentiâ regi et ordinari sciat, sed acquiescendum sibi esse existimabit Deorum decretis, quae bonane an mala sint, judicare ipsi non liceat. *Τὶς γὰρ οἶδεν*, ait Plutarchus, *εἰ ὁ θεὸς πατρικῶς προειδὼς καὶ κηδόμενος τοῦ ἀνθρωπείου γένους, προορώμενος τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι, προεξάγει τινὰς ἐκ τοῦ ζῆν ἀώρους;* [2]) Hinc item major accedit caeteris argumentis auctoritas, hinc magis persuadetur nobis, meliore nunc frui conditione eos, quos morte amisimus, quum intellexerimus, non temere ac fortuito satum et creatum esse hominem, sed fuisse vim quandam, quae generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. [3]) Verissimum idcirco hoc est atque uberrimum ad erigendos animos solatium, ideoque laudandi sunt antiqui, qui in consolationibus illud haud praetermiserint. Attamen, quominus omnem iis laudem tribuamus, facit, quod praeclara haec effata commiscuerint cum sententiis de mutabili, iniqua, caeca fortuna, qua di-

---

1) Arriani *Epictetus* I. c. 9. Adscribere hic juvat egregium locum Plutarchi *Non posse suaviter vivi secundum Epic.* p. 1101 E. *οὐ γὰρ ὡς τυράννοις τισὶν ἢ δεινοῖς κολασταῖς ὁμιλοῦσα τηνικαῦτα ἡ ψυχὴ περίλυπός ἐστι καὶ ταπεινὴ καὶ δύσθυμος, ὅπερ εἰκὸς ἦν· ἀλλ' ὅπου μάλιστα δοξάζει καὶ διανοεῖται παρεῖναι τὸν θεὸν, ἐκεῖ μάλιστα λύπας καὶ φόβους, καὶ τὸ φροντίζειν ἀπωσαμένη, τῷ ἡδομένῳ μεχρὶ μέθης καὶ παιδιᾶς καὶ γέλωτος ἀφίησιν ἑαυτήν.*

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 117 D. Cff. Ibid. p. 112 E. et in primis Plato *de Rep.* II. p. 379 A, C; X. p. 604. *Init. phil. Plat.* Vol. III. p. 218 sqq.

3) Cic. *Tusc. Q.* I. 49. Cf. Boëthius *de Cons. Phil.* l. III. Pr. 12.

sputatione magna illi argumento vis detrahitur. Etenim, ut illa oratio nos jubet acquiescere decretis divinis, quae mala esse nequeunt, ac laetitia nos afficit, quod res nostrae a divina Providentia pendeant, quae consulit generi humano; ita haec de fortuna disputatio, metum futuri injiciens, reliquam vitam placide agere vetat, et vix quicquam habet, quo erigat lugentis animum eumque ad optima quaeque adducat.

Sed etiamsi illae, quas diximus, consolandi rationes perquam valeant, ad sensum doloris minuendum, quum contrarium ei opponant laetitiae sensum: manet tamen animumque lugentis cruciare pergit desiderium illius felicitatis, cuius antea esset particeps, quamque nunc sibi amissam doleat. Huic igitur desiderio satisfacere, eamque felicitatem restituere debet is, qui consolantis munere fungitur, si plane voti compos fieri ac penitus evellere dolorem velit. Quod tamen quum humanas superet vires, quumque factum infectum reddere nemo valeat, hoc consolanti est officium, ut spem lugenti proponat, fore, ut postea eandem recuperet felicitatem et amissa repetat. Haec enim, ut egregie cecinerunt poëtae, omnibus malis irrumpentibus in genus humanum, sola manebat in pyxide Pandorae, quae erigeret afflictos, animum daret demissis, minueretque dolores: haec excitavit Socratem, ut neque animum desponderet, quum insons morti traderetur, neque reformidaret cicutam, sed laetus eam biberet, sperans, fore ut ad meliores perveniret Deos:

Haec etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus. 1)

---

1) Tibull. lib. II. Eleg. 6 vs. 25. Cff. de hoc solandi argumento Fest. l. l. Vol. I. p. 27 sqq., 62 sqq. Ernesti l. l. p. 169 sqq.

Proxime autem haec consolatio cum caeteris, de quibus modo egimus, cohaeret; ubi enim adesse Providentiam reputaveris, quae saluti humanae ita consulat, ut quae nobis accidant, mala esse nequeant; verissima hinc spes oritur, fore, ut quae in nostrum detrimentum data videantur, revera nostrae felicitati conducant. [1]) Rite autem hanc adhibuerunt philosophi in consolationibus de exsilio deque senectute, quum exsulibus proponerent spem, ut postea, mutata reipublicae conditione, in patriam redirent et pristinam recuperarent felicitatem: senibus autem persuaderent, brevi eos hisce vitae malis ereptos, gratissimam ac vere vitalem acturos esse vitam. Idem solatium afferri potest ei, qui cognati cuiusdam obitum lugeat, si ipsi ostendatur, post mortem eum rursus cum carissimo illo capite conjunctum iri, cum illo divinis voluptatibus esse fruiturum, eamque conjunctionem eo firmiorem suavioremque fore, quum nulla unquam calamitas, nulla unquam mors disjungere ipsos possit. Quam orationem mirifice valere ad excitandum atque erigendum lugentis animum, nemo erit, quin sponte videat. Etenim quum hoc in primis angat et deprimat animum nostrum in obitu necessariorum, quod eorum amplexibus ac sermonibus privati, recuperare pristinam felicitatem nequeamus, quum ferrea manu retineat mors, cuiuscumque sit compos facta; nulla tam efficax esse potest medicina, quam quae satisfaciat huic desiderio, et laetis futuris praesentia oblivisci cogat. Tum enim habet animus, quo hilaris requiescat, quo cogitationem mali repellat: et dulcissima illa spe erectus, ita vitam insti-

1) Praeclare id expressit Ovid. Pont. lib. I. Epist. 6 vs. 45:

Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

tuet, ut dignum se illa felicitate praestet, vitamque considerabit veluti mortis commentationem. Egregie hanc consolationem commendavit Antiphanes: [1])

Πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προςήκοντας φίλους.
Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
Προεληλύθασιν· εἶτα χ' ἡμεῖς ὕστερον
Εἰς ταυτὸ καταγωγεῖον αὐτοῖς ἥξομεν,
Κοινῇ τὸν ἄλλον συνδιατρίψοντες χρόνον.

Veruntamen philosophi in consolationibus de morte hoc argumentum non magnopere attenderunt; adsunt quidem loca, ubi huius solatii mentionem faciunt, prouti apud Plutarchum: *πεπαιδευμένων δ' ἐστιν ἀνθρώπων προειληφέναι, διότι βραχὺν χρόνον προειλήφασιν ἡμᾶς οἱ δοκοῦντες ἄωροι τοῦ ζῆν ἐστερῆσθαι,* [2]) tum apud Senecam, dicentem: ***dimisimus illos, immo consecuturi praemisimus;*** [3]) attamen haec magis *ἐν παρέργῳ* attigerunt, quam data opera explicuerunt. Quod eo magis mirandum est, quum et in caeteris consolationibus egre-

1) Stob. *Flor.* tit. 124, 27. Gaisf.

2) Plut. *Cons. ad Apoll.* p. 117 E.

3) Seneca *Cons. ad Marc.* c. 19. Pariter idem *Epist.* 99 ait: *Eo aequiore animo esse debemus, quod quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis; cogita brevitatem huius spatii, per quod citatissimi currimus, observa hunc comitatum generis humani, eodem tendentis, minimis intervallis distinctum, etiam ubi maxima videntur; quem putas periisse, praemissus est.* Cicero autem *de Senect.* c. 23. Catonem haec de filii morte dicentem facit: *Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quod aequo animo ferrem, sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.*

gie hanc adhibuerint medicinam, et in scriptis de morte, ubi de futura animorum post mortem conditione loquerentur, fusius egerint de mortuorum cum prioris aevi viris conjunctione, deque sermonibus cum iis miscendis. Latet igitur in hisce quidem uberrimum illud solandi argumentum, sed latius id exponere deque industria adhibere debebant, si quidem salutarem illud in lugentis animo vim habere voluissent.

Haec de philosophorum consolandi rationibus monenda habui. Ne tamen quis existimet, eandem semper apud omnes earum esse vim: ut enim recte animadvertit Hyperides, *τὰ μὲν πένθη οὔτε λόγῳ, οὔτε νόμῳ κοιμίζεται· ἀλλ' ἡ φύσις ἑκάστου ὁρισμὸν ἔχει τοῦ λυπεῖσθαι.* [1]) Non enim solatia admota per se eximere sollicitudinem ac metum, retundere cupiditatem, levare aegritudinem possunt, nisi intelligentiae adjunctum sit robur animi ac virtus divinitus insita, ad agendum quod volueris, et exsequendum. [2]) Huic igitur fortitudini si accedit consolatio rite instituta, salutari profecto sua vi haud carebit; tum lugens solatia in memoriam saepius revocans, humaniter casum suum feret, non erit *ἀπαθὴς*, non omnem evellere dolorem, sed sedare et mitigare luctum studebit. Sentiet quidem, quantum amiserit, ac summo ducetur mortui desiderio, sed tantum abest, ut haec aegritudo eum deprimat, ut contra eum erigat eumque optimis quibusque sensibus imbutum, ad colendam virtutem excitet.

---

1) Stob. *Flor.* tit. 124, 36. Gaisf.

2) Verba sunt Heynii in *Cens. Boëthii de Cons. phil.* in Opusc. T. VI. p. 153.

EPILOGUS.

Atque sic quidem ad finem disquisitionis nostrae progressis latissimum perspicere licet, quem percurrimus, campum. Magna sane nobis apparuit opera, quam antiqui philosophi Graeci in consolandis miseris posuerunt, ut non solum permulta conderent opera consolatoria, sed ipsi adeo consolationi suum in philosophia morali tribuerent locum. Nam quum de philosophia tam magnifice existimarent, ut eam vitae artem ac magistram haberent, ita eandem quoque animi ducebant medicinam, cuius auxilio pellerentur timores et aegritudines, animusque ad pristinam reduceretur aequabilitatem. Philosophia igitur duce, explorabant animum humanum, et indagabant luctus originem, naturam, vim, ut morbi caussa inventa, ei opitulari ac salutarem afferre medicinam possent. Quodsi, quid tribuendum sit argumentis, quibus usi sunt, quaeris, recte omnino versati fuisse videntur in auferendis opinionibus, quae alere et confirmare soleant dolorem, nec laude sua

defraudandi in minuendo et leniendo doloris sensu. Veruntamen, quod summum consolationis esse debet propositum, ut demissus animus erigatur et confirmetur, id efficere rationibus philosophis studuerunt quidem, perfecisse tamen non dicendi sunt. Magis enim in deprimendo dolore, quam in excitandis et ad optima quaeque adducendis lugentium animis occupati fuerunt. Hinc medicina, quam e literis et philosophia petebant, neque efficax erat neque perpetua; hinc illa Ciceronis verba: „Ipsae illae literae excludere me a portu et perfugio videntur, et quasi exprobare, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Itaque sic literis utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his *medicinam perpetuam*, sed ut *exiguam doloris oblivionem* petam." [1]) Quod vero illi assequi studuerunt, sed non assecuti sunt, id demum perfecit divina, quam profitemur, religio Christiana, quae animum humanum immortalem esse docens, veram laetandi caussam praebet iis, qui necessariorum mortem deplorant; haec demum evidentissime ostendens, esse Providentiam, quae prospiciat rebus humanis, hominem admonet divinis decretis non tergiversari sed acquiescere, quum benevoli patris semper bona sint consilia; haec denique optimam moerenti praebet spem, fore, ut postea rursus cum iis, quos amiserit, conjungatur, cumque iis majorem ac veram percipiat felicitatem. Quae quum praecipua religionis nostrae sint solatia, satis demirari non possumus antiquos philosophos, qui religionis luce non collustrati, per philosophiam tam

---

1) Cic. *Epist. ad Div.* lib. V. Ep. 15.

proxime ad eius effata pervenerint, eaque docere et demonstrare inceperint, quae deinde auctoritate sua profligavit et consummavit religio Christiana. Verissime autem ea dici potest ibi incepisse, quo tetenderat et in quibus inquirendis finivit philosophia antiqua. 1) Suspicabantur enim veteres, non una cum corpore exstingui animum humanum, sed in alias tendere regiones, ubi meliore frueretur conditione; at vero suspicionem nullum confirmaverat effatum divinum; Deum porro sibi proponebant bonum ac justum, resque humanas curantem; attamen audita nondum erat vox divina: *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.* Hinc ad sublimitatem religionis nostrae in consolandis miseris pervenire non potuerunt: nihilo tamen minus summa iis laus est tribuenda, quod eo escenderint, quo accedere liceat ingenio humano.

---

1) Afferre hic juvat optimi patris verba, paucis hoc discrimen complectentis: *Het is intusschen opmerkenswaardig, naar het mij voorkomt, dat het juist die zelfde troost voor leven en sterven geweest is, waarnaar de oudheid voornamelijk gestreefd heeft, ja, dat zij even zoo met het zoeken er van geeindigd is, als ons Christendom er mede aanvangt. Socr. School* Vol. II p. 218.

